105

X.g 11.

RESONARE CHRISTUM

THE BOSTON PUBLIC LIBRARY

JOAN OF ARC COLLECTION

39999065985346

[illegible]

[illegible]

[illegible]

AURELIF

AVRELIÆ VRBIS ANGLICANA OBSIDIO, ET SIMVL res geſtæ Ioannæ Darciæ vulgò Puellæ Aurelianenſis.

AVTHORE IOANNE Lodoïco Micquello.

Opus nunc demum recognitum.

LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud IACOBVM DVGAST, ad Chirothecas coronatas, viâ Cytharæ.

M. DC. XXXI.

Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

944.0264
M62A
1631

OPVS recognitum, in quinque libros diſtinctum, & ſummarijs illuſtratum, auctumque varijs teſtimonijs ac Decreto CALIXTI III. ſummi Pontificis innocentiam Puellæ ritè comprobantibus.

Joan of Arc
DC103
M64
1631x

A MESSIEVRS LES MAGISTRATS, Maire, & Eſcheuins de la ville d'Orleans.

MESSIEVRS,

On a creu entre les Anciens, les Druydes auoir eſté premiers fondateurs de la Ville d'Orleans, arrouſans cette terre de leurs prieres, deuo-

tions & diuins ſacrifices: Sages Precepteurs de la Pieté, de la vertu & de la Iuſtice, non moins loüables que les ſages Grecs, les Egyptiens & les Indiens: perpetuels profeſſeurs de la venerable Preſtriſe & celeſte Sageſſe.

Dont les Orleanois, comme naturels heritiers des vertus paternelles, garderent touſiours conſtamment les viues impreſſions de la diſcipline ancienne de leurs Majeurs, iuſques à ce que ſainct Altin premier Eueſque, & fondateur de l'Egliſe d'Orleans leur fuſt enuoyé par ſainct Sauinian Archeueſque

de Sens, l'annee ſoixante neufuiéme de la naiſſance du fils de Dieu, pour les informer de la Loy Euangelique.

Ainſi vit-on bien toſt par l'vnion de la ſainctetė Chreſtienne, auec la ſageſſe admirable des Philoſophes anciens, cette Cité plus fleuriſſante que iamais, changer le nom de Genabe en celuy d'Aurelie, nom emprunté de la mere du grand Iulius Caeſar, & prendre la face d'vn theatre de deuotion, composé de pluſieurs temples conſacrez au ſeruice du vray Dieu, & de ſon Chriſt ou Meſſie de nouueau manifeſté au monde,

receuoir ſix Conciles Nationnaux conſecutifs de tous les Eueſques de la France : & ſi particulierement cherie de Dieu, que non ſeulement elle s'eſt veuë touſiours accompagnee de ſes graces, comblee d'honneurs & de biens : mais auſſi miraculeuſement deffendue & conſeruee par moyens du tout celeſtes, extraordinaires & incomprehenſibles aux hommes.

Car en l'annee 446. elle experimenta premierement la protection diuine, contre Attila Roy des Huns, des Hongres & des Goths, ſurnom-

mé la terreur du monde, & le fleau de Dieu, par les ſeules prieres de ſainct Agnan pour lors Eueſque, reduite au deſeſpoir de ſe pouuoir garentir de ſa ruine totale contre vn ſi puiſſant & cruel ennemy: lequel accompagné de cinq cens mil combatans, tenoit deſia toute l'Europe gemiſſante dedans le ſang & ſoubz le joug de ſes armes, depuis la Scythie iuſques aux dernieres bornes de l'Occident.

Puis on la vit deliuree des Anglois en l'annee 1429. par vne jeune fille de l'aage de dixhuict ans ſuſcitée du Ciel &

diuinement inſpiree; rauiſſante merueille & ſurmontant l'intelligence de l'eſprit humain, dont vous auez icy l'Hiſtoire fidellement deſcrite par Iean Louis Miqueau, laquelle nous vous baillons reueüe, diſtinguee en cinq liures, accompagnee de ſommaires, & augmentee de la iuſtification des faits heroiques & de l'innocence de ceſte genereuſe Pucelle, par les teſmoignages irreprochables de pluſieurs graues Eſcriuains, Eſtrangers & de noſtre Nation, tant Eccleſiaſtiques qu'autres, tous d'eminente qualité, & authoriſez par le Iugement du Pape

Calixte III. Labeur, MESSIEVRS, *qui vous appartient de droit & qui vous doit eſtre tant plus agreable, qu'il n'y a aucun eſcrit, pour ce ſuject, egalant l'eloquence & la fidelité de cét Autheur. Ie prie Dieu*, MESSIEVRS, *vous donner la perfection de ſes graces, & demeure*,

MESSIEVRS,

Voſtre tres-humble
ſeruiteur,

R. L. M.

CAROLO LOTHARINGO Cardinali I. Lodoïcus Micquellus S. D.

QVod præclarè olim de veteribus illis admodum antiquis cecinit Lyricus,

Vixere fortes ante Agamemnona.
Multi, ſed omnes illachrymabiles
Vixere, ignotique longâ

Nocte, carent quia vate ſacro.

Id verè hodie de noſtris Francis dici poteſt, qui licet virtute, ac rerum geſtarum magnitudine gentes omnes, nationéſque ſuperarint, ſcriptorum tamen penuriâ, tenebris, obſcuritatéque oppreſſi, honore ac luce caruerunt. Mihi verò multa legenti, multáque audienti, quæ Franci domi militiæque, mari atque terrâ præclara facinora fecerunt, nihil ex omni memoria illuſtrius, nihil dignius, quod à noſtra memoria propter vetuſtatem remotum ex literarum monumentis repeteretur,

occurrit, quàm quòd Viragine Lotharingâ duce, anno 1428. in Franciâ geſtum atque adminiſtratum eſt. Cui ego rei celebrandæ, non vnus ex omnibus re omni paratiſſimus operam meam dicaui: ſed tanto quàm cæteri erga patriam officioſior, id oneris non inuitus ſuſcepi: imprimíſque operam dedi, & id maximè ſtudui, vt quæ manu ſcriptis voluminibus diſperſa vernaculè iactabantur, ea paucis, & certo ordine latinè comprehenſa, veriſſimáque, quantum fieri potuit, in lucem emitterem. Cæterùm hoc quale-

cunque eſt opus (Cardinalis & princeps illuſtriſſime) quòd Lotharingia conſeruatæ vrbis Aureliæ, atque adeò totius Franciæ gloriam quaſi ſuo iure ſibi vendicare poteſt, tibi principi Lotharingo, viſum eſt inſcribere: Non ea quidem ſpe, vt ad vaſtum laudum tuarum cumulum quicquam noſtra inſcriptione accedat: ſed vt quo authore & duce ſtudiorum noſtrorum fundamenta Rhemis iacta ſunt, eodem tutore literarias noſtras commentationes edamus, abſque nominis tui ſplen-

dore obſcuras multùm, eiuſdem fulgore illuſtres plurimùm ſine dubitatione futuras.

APPROBATIO.

NOs hunc rediuiuum libellum de Puella Aurelianenſi accuratè per legimus, nihil habentem alienum ab orthodoxa fide boniſque moribus, ſed mirificè præſtantem, hiſtorica ſinceritate, & eloquij ſplendore: Quem ideò luce publica digniſſimum cenſuimus. Pariſijs Id. Octo. anno 1630.

M. Meuriſſe Theologus Pariſienſis Epiſcopus Madaurenſis & ſuffraganeus Epiſcopatus Metenſis.

APPROBATIO.

HOc Opuſculum, quod Aurelianenſis Puellæ bellicam virtutem olim explicabat præconio Miquelli, & quod penè intermortuum inſignis medicus Magiſtrâ manu nunc viuere iuſſit, Nil habet contra canones fidei Ortodoxæ & Eccleſiæ Romanæ. Sic Cenſuit Doctor Theologus ſacræ Facultatis Pariſienſis prid. Cal. Oct. 1630.

Chapelas ſancti Iacobi in vrbe Parochus.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR Lettres Patentes du Roy données à S. Germain en Laye le 12. iour de Decembre 1630. Il eſt permis à IACQVES DVGAST, Maiſtre Imprimeur Marchand Libraire, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter vn liure intitulé *Aureliæ Vrbis Anglicana obſidio, &c.* Et defenſes à tous autres Imprimeurs & Libraires de l'imprimer ou faire imprimer, ny en vendre ny debiter d'autre impreſſion, ſinon de celle dudit Dugaſt, pendant le terme de ſix ans, à commencer du iour que ledit liure ſera acheué d'imprimer, ſur les peines contenuës en l'Original.

Par le Roy en ſon Conſeil.

DEGVYVES.

PREFACE AV LECTEVR.

HORS les diuins monumens des ſainctes Eſcritures, il ne ſe peut voir en toute l'Hiſtoire generalle du monde, rien de memorable à l'égal de la Pucelle d'Orleans. Vne jeune Fille de l'âge de dix-huict ans, ſimple Bergere, paroiſtre ſoudain entre les Princes dans les Conſeils de guerre,

commander aux armées, ordonner les batailles, donner à toute rencontre la chaſſe aux ennemys, les diſſiper & ruïner. Ennemys enflez de la gloire de pluſieurs victoires, cruels, furieux, inuincibles, & foulans aux pieds les Puiſſances de ce Royaume durant le temps de ſept années entieres : Leſquels toutefois ne peurent jamais ſubſiſter deuant cette admirable Guerriere, troublés par ſon ſeul regard d'vne panique frayeur, ſans autre cauſe apparente, que de quelque foudroyante vertu de cœle-

ſte impreſſion, au front & aux yeux de la Pucelle. Cœleſte impreſſion (diſ-je) ſuffiſamment veriffiée par ſes bonnes meurs & honneſtes deportements, par ſa modeſtie, pieté, reuerence enuers Dieu, chaſteté, & toutes autres vertus deſirables en vne ame purement cœleſte & diuinement inſpirée. Auſſi fit elle dignement cognoiſtre les grandes graces dõt Dieu l'auoit doüée par les effects d'vne conſtance & ſageſſe admirable, ſur le cruel jugement donné contre elle par ſes ennemys, reſpondant ſi

pertinemmment ſur toutes ſes accuſations, que la verité & la juſtice parurent euidemment triomphantes en ſa bouche, à la grande confuſion des Accuſateurs. La choſe eſtant donc ainſi, & l'Hiſtoire tant importante à l'honneur de la France, & particulierement de la ville d'Orleans, on nous pourroit duëment blaſmer, nous & nos predeceſſeurs, de l'auoir ſi fort negligée & renduë contemptible ſoubs le mauuais ſtile des fabuleux Romans: Cauſe que pluſieurs ont tenu cette indubitable

Verité entre les feintes deſcriptions des Contes faicts à plaiſir, laquelle ſe pourra veoir icy mieux repreſentée & garentie de toute incertitude, & au contentement non ſeulemẽt des vrays François, mais de toute la Chreſtienté & de l'vniuers. Pourquoy nous l'auons jugée digne de veoir le jour.

A DIEV.

AVRELIÆ VRBIS ANGLICANA OBSIDIO: & ſimul res geſtæ Ioannæ Darciæ, vulgò puellæ Aurelianenſis.

LIBER PRIMVS.

SVMMARIVM LIBRI.

PRæfatio. Occaſio belli. Aſtutia Henrici Regis Angliæ. Cædes Ioannis Ducis Burgundiæ. Philippus Burgundio patris vltionem meditatur. Multæ vrbes Anglo traditæ in pignus ſocietatis. Ca-

tharina Caroli ſexti filia Anglo nubere cogitur : nuptiarum pactio. initium belli Anglici. Mors Caroli ſexti. Rex Biturigum. Francia expoſita in prædam ac ludibrium. Sarisberienſis Comes Accinctus in obſidionem Aureliæ. Atrox pugna obſidentium & obſeſſorum. Sarisberienſis Comes interfectus. Incendia templorum. Duelli certamen duorum Vaſconum cum totidem Anglis. Anglorum equitum magnus impetus, & multa cædes Aureliorum. Propugnaculi ad portam Vulpinam valida oppugnatio, qui dies Aurelijs longè grauiſſimus fuit; virtus Ioannis Nothi Aurelij. Lodoicus Culanus Thalaſsiarchus, vir magni nominis. Sanſeueri egregia Oratio ad milites & populum. A Rege legatorum

reditus ad Aurelios. Lancelotus Anglorum dux fortiſſimus, occiſus.

IN PRINCIPIO meæ hiſtoriæ, licet mihi iure præfari, quod profeſſi plerique ſunt grauiſſimi rerum ſcriptores, bellum maximè memorabile omnium quæ vnquam geſta ſint, me ſcripturum, quod viragine Lotharingâ duce, Franci cum Anglis geſſêre. Quippe quod non caduci alicuius hominis ingenio atque induſtria, ſicuti cætera quæ à virtute, vel ignauiâ ducum & militum, fortunam ſortiuntur: ſed Dei optimi maximi nutu atque conſilio & geſtum & adminiſtratum eſſe videatur. Idque cùm coniectura aſſequi poſſumus, quod vix videtur hu-

mani conſilij tantarum rerum gubernatio eſſe potuiſſe, tum verò ita præſens illis temporibus Francorum rebus prorſus deploratis opem & auxilium tulit, vt eum penè oculis Franci videre potuerint. Verùm priuſquam huiuſcemodi rei initium expediam, pauca ſuprà repetam quo ad cognoſcendum omnia illuſtria, magis magíſque in aperto ſint.

Carolus Rex Francorum eius nominis ſextus, terror antea gentium, ingraueſcente iam ætate, tædio rerum aduerſarum, mente paululum immutatâ, labefactatíſque aliqua ex parte ſenſibus, ſuis contemptui eſſe cœpit. Franci itaque Principes deficiente quotidie Regis maieſtate, in ſpem imperij adducti, dum imperare

ſinguli cupiunt, imperium penè omnes perdiderunt. Siquidem Henricus rex Angliæ, velut ex ſpeculâ quadã Franciæ regno inſidiatus, dum illorum contentiones alit, auxiliũ modò his, modò illis ferendo, victos pariter victoréſq; ſubire paulatim Anglorum ſeruitutem cogebat. Interfecto demum ad Monterigolum in colloquio cum Carolo Delphino Ioanne Burgundionum duce (qui ſemper nouorum conſiliorum præcipuus author fuerat) finitæ contentiones inter Francos principes videbantur, cùm repentè Philippus filius irâ & metu anxius, moliri, parare, atque ea modò in animo habere, quibus per dolum Carolum Delphinum in vltionem cædis paternæ aut interficeret, aut ex patrio re-

gno expelleret. Quæ vbi tardiùs procedunt, neque lenitur animus ferox, ſtatuit quouis modo incœptum perficere. Inita itaque cum Anglo infeſtiſſimo Francorum hoſte ſocietate, regem Carolum, reginam, Catharinam virginem, vrbem regiam, Carnutes, Tricaſſes, Rhemos, multáſque alias Franciæ vrbes paulò antè fraude patris captas in pignus ſocietatis ei tradidit. Tanto odio Caroli ardebat, vt oblitus cladium ſuarum perire quàm non perdere ipſum præoptaret, expertámque Anglorum crudelitatem pati, quàm parcere hoſtibus ſuis mallet. Inde quaſi omnia, quæ cogitaſſet animo, ei licerent, Carolum Lutetiæ voce præconis citandum curat, diéq; dictâ, cùm iudicium

arbitrio victorum exerceretur, regno eum non iudicis more, ſed fraude ac ſcelere ſpoliauit. Et ne quod vel ius vel fas prætermitteretur, in Tricaſſibus, Catharina (nihil detrectante patre, qui nec ſui, nec regni, nec mentis compos erat) Anglo nubere cogitur, ea interpoſitâ pactione, vt Anglus gener, ſi ſocero regi ſuperſtes foret, liberíve ex Catharina procreati, in regnum Franciæ ſuccederent. Intereà Anglus in procuratione regni eſſet. Iis ita geſtis rebus Anglus magno exercitu comparato, bellum gerere: apertè totius Franciæ imperium petere, vrbes munitas adire: alias vi, alias metu, aut prœmia oſtentando à Carolo auertere: plurimas authoritate nominis ſui (nam quò ſe Fortuna,

etiam fauor hominum inclinat) ad defectionem compellere. Interiecto deinde tempore, mortuo Carolo ſexto, cùm hinc captiuitas matris (quæ clauſa in tenebris cum mœrore & luctu morte grauiorem vitam exigebat) inde hoſtium multitudo, hinc inſidiarum metus, inde inopia continui belli, & exhauſti regni Caroli ſeptimi animum vrgerent, belláque veluti conſpiratione quadam ad oppugnandam Franciam multarum gentium ex diuerſis locis vno tempore confluerent, quoniam omnibus par eſſe non poterat, eò redactus eſt, vt amiſſa maxima regni parte, per ludibrium Biturigum rex diceretur. Fœdum prorſus miſerandúmque ſpectaculum! Franciam viribus & dignitate Orbis

terrarum principem, regum certè gentiúmque ſemper victricem, (ſuperiore gloria rei militaris extincta) prædæ ac ludibrio exteris nationibus eſſe. Hoc rerum ſtatu Sariſberienſis Comes Anglus, cùm genere tum bellica laude illuſtris, dignum fama ſua ratus, ſi nobiliſſimam Franciæ ac munitiſſimam Aureliorum vrbem, intentatam ſuperioribus ducibus expugnaret, maximè quod hæc vna certiſſimam Anglorum victoriam diſtineret, qua expugnata, locus conſiſtendi Francis in Francia non foret, eò ingentem exercitum adduxit, anno impertitæ nobis à Deo optimo maximo ſalutis, milleſimo quadringenteſimo viceſimo octauo, quarto idus Octobris: atque ab ea regione, qua Si-

ligonia aditur ad aquæ portum (vulgò porticulum appellant) caſtra poſuit. Cognito Anglorum aduentu, Aurelij; milites euocare; frumentum ex finitimis regionibus atque omnibus pagis in vrbem conuehere: armorum officinas in vrbe inſtituere: magnam tormentorum vim importari mandare: foſſas purgare: propugnacula, muros & portas reficere: vigilias in vrbe, ſtationes ante portas, præſidia in muris diſponere: nihil quod ad obſidionem ſuſtinendam opus eſſet, reliqui facere. Sarisberienſis vbi oppidanos propugnationi intentos, ſimúlque oppidum & operibus & loco munitum videt, vallo foſſáque eam vrbis partem circumuenit. Aurelij primò miſſilibus ſummouere hoſtem, nec

quicquam tutum munientibus pati: deinde iam non pro mœnibus modò, atque turribus tela micare, ſed ad erumpendum etiam in ſtationes operáque hoſtium animus erat. Quibus tumultuarijs certaminibus, haud fermè plures Aurelij cadebant quàm Angli. Munitionibus tandem perfectis, Sariſberienſis nullam moram agendis rebus facit, ac primùm locis ex copia maximè idoneis, impoſitis tormentis, murum atque ædificia vrbis quatere inſtituit. Erat tanta pilarum vis, vt non ſolùm muri, ſed cum ſupra mœnia ferebantur, etiam ædificiorum tecta corruerent, ac quaſi tempeſtate quadam cuncta proſternerentur. Eodem impetu frumentarijs molis, quæ in medio fluminis alueo inter ciuita-

tem & turrim nouam conſtitutæ vrbi annonam ſufficiebant euerſis, ac gurgite depreſſis, Aurelij neceſſaria re coacti machinamenta pluribus in vrbis locis excitarunt, quæ cùm hominum equorúmque opera verſarentur, abundè molita obſeſſis cibaria præſtabant. In vlteriore Ligeris ripa, Aurelij propugnaculum firmiſſimi munimenti, quod arcem quæ ponte vrbi iungitur (vulgò Turriculas appellant) tueretur obiecerant: Illud ſi tenerent Angli, pabulatione libera ac eruptione prohibituri Aurelios videbantur. Igitur Sarisberienſis pro tempore atque loco paratis rebus eum locum cum exercitu circumuenit: præfectis imperat vbi quiſque curaret. Erant præſidio impoſiti Villarius Montis-

argiui præfectus, Matthias Arragonius, Guitrius, Corraſius Vaſco, Santrailla cum Potone fratre, Petrus Chapella Belſius, multíque alij, quorum vetuſtate memoria abijt: horum omnium intenti animi pugnam expectabant. Deinde ſigno dato vndique ſimul clamor ingens exoritur, prælium initur, pugnatúrque vno tempore omnibus locis. Angli pro ingenio quiſque pars eminus tormentis aut telis pugnare: alij ſuccedere, ac modò murum ſuffodere, modò ſcalis aggredi: contra ea Aurelij in proximos ſaxa voluere; ſudes, pila, prętere a picem ſulphure & tæda miſtam ardenti mittere. Sed ne illos quidem qui procul remanſerant timor animi ſatis muniuerat: nam pleróſque iacula tormentis aut

manu emiſſa vulnerabant: parique periculo, ſed fama impari boni atq; ignaui erant. Ipſæ mulieres Aureliæ lapides, ignem, alia preterea tela præſidiarijs ſubminiſtrare. Clamor permiſtus hortatione, lętitia, gemitu: Item ſtrepitus armorum ad cœlum ferri, tela vtrinque volare, defatigatis Anglis integri inuicem ſuccedere: nec iam arma noſtris, nec vires ſuppetunt. Iis rebus cognitis, Gaucurtius vrbis præfectus ſingularis animi & prudentiæ vir, nouas cohortes ex vrbe ſubſidio adducit. Angli primò reſiſtere: deinde vbi vnæ atque alteræ ſcalæ comminutæ, qui ſuperſteterãt afflicti ſunt, cæteri quo quo modo potuere, pauci integri, magna pars confecti vulneribus abeunt. Denique vtrinque pręlium (cùm

pugnatum eſſet amplius quatuor horas)nox diremit. Pugna atrocior quàm pro paucitate propugnantiũ fuit. Nã ſupra ducentos quadraginta Anglos cecidiſſe prȩter ſauciatos compertũ eſt. Francorum perpauci, alioqui obſcuri nominis milites deſiderati. Obſidio deinde per paucos dies magis quàm oppugnatio fuit, propter vulnera militum & ſepulturam occiſorum: per quod tempus, vt quies certaminum erat, ita ab apparatu operum ac munitionum nihil ceſſatum eſt. Itaque acrius de integro obortum eſt bellum, pluribúſque partibus cuniculi cœpti agi, admouerı́que tormenta: telis tormentı́ſque ſummotis Aurelijs, non datur libera muri defendendi facultas: quaſſatæ iam multæ partes propugnaculi erant, compluribúſ-

que lapidibus ex arce Turricularum ſubductis, repentina ruina pars eius concidit, pars reliqua procumbebat: hinc ſpes, hinc deſperatio animos irritat, Anglo cepiſſe iam ſe propugnaculum ſi paulùm adnitatur, credente, Aurelijs pro nudato vndique propugnaculo corpora opponentibus: nec vllo pedem referente, ne relicto à ſe loco hoſtem immitteret. Itaque quò acriùs & confertim magis vtrinque pugnabatur, eo plures vulnerabantur: nullo inter arma corporáque vano intercedente telo. Cùm diu anceps fuiſſet certamen, & Aurelijs, quia præter ſpem reſiſterent creuiſſent animi, Angli quia non viciſſent, pro victis eſſent, obídque languentibus ipſis ac animo remiſſis, cùm expertiſſimus quiſ-

que minimè iam defendendum propugnaculum ac omninò deſerendum eſſe cenſeret, præſidiarij maioribus adactis tormentis, illud cum arce, ne munimenta hoſtibus & receptacula belli relinquerent, diruerunt: reſciſſóq; ponte ſe in vrbem receperunt. Eo ipſo die (qui fuit ad nonum Calend. Nouembris) Sarisberienſis ad arcem cum Glacida, & aliquot cohortibus cùm proceſſiſſet, vt ex alto oppidi ſitum deſpectaret, in eum locum directo à turri diuæ Mariæ tormento, globus ferreus illi alterum oculum ac genam abripuit. Quo audito Anglis ex dolore metus, & Aurelijs ex gaudio ſtupor inijcitur. Poſt paucos dies ille Magduni (quò delatus fuerat) decedit: cum quo vires quoque Anglorum ce-

ciderunt. Nam ſicuti telo, ſi primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi ſuſtuleris, ſic illo velut mucrone teli ablato duce, Anglorum vires hebetatæ ſunt: vt non tam illum amiſiſſe, quàm cum illo interijſſe Angli viderentur. Nam neq; hunc ante ducem vllum memorabile bellum in Francia geſſerant, nec poſteà virtutibus, ſed cladibus inſignes fuêre: vt manifeſtum ſit Anglorum gloriam in Francia partam, & natam & extinctam cum eo fuiſſe: eius cadauer exenteratum, conditúmque aromatibus, in Angliam auectum, ſepulchris maiorum illatum eſt. Fuêre non pauci mortales, qui huius mortem in religionem verterent, & diuinam eſſe iram interpretarentur, quòd & neglecto iureiuran-

do, quo duci Aureliorum in Anglia captiuo fidem ſuam obſtrinxerat, vrbes Aureliæ ditionis fore incolumes, ipſam tamen vrbem Aureliam oppugnaſſet: & quòd ſacrilega manu, donaria antiquitus dicata templis, & religiosè vſque in eam diem cuſtodita, non cunctanter auferret, réſque precioſas in cœnobijs abſconditas, ſuam eſſe prædam diceret. Poſtremò quod expilato fano diuæ Mariæ Cleriacæ, aurea argenteáque donaria, nefando auaritiæ genere in ſcyphos & pateras conflaſſet. Hæc erant præter vaſa altaribus dicata, ſtatuæ paruæ, ſimulachra periculorum, omniúmque humanorum membrorum effigies, ſicuti ea religioſi mortales voto pro ſalute ſuſcepto exoluerant. Idque in-

genti cum luctu multorum muliercularúmq; præſertim crebris eiulatibus; quæ pietatis cauſſa conceptis votis imaginem illam diuæ Mariæ inuiſere atque venerari conſueuerunt. Eo tempore, vt Aurelij quietem habuerant, nec laceſſentes nec laceſſiti per aliquot dies, ita non nocte, non die vnquam ab opere ceſſare: vt ponte reſciſſo nouas munitiones ad Pulchram crucem perducerent, in quarum ſuperiore platea impoſitis maioris generis tormentis, multa quotidie hoſtibus detrimenta inferre: nec perterriti animi aut demiſſæ ſpei ſignificationem dare. Contra hæc Angli feſtinare: mœnibus ne ingreſſus egreſſúſve cuiquam pateat, munitiones obijcere: turres ac caſtella agere: prorſus ab vtríſq;

nihil reliquum fieri. Non magno deinde pòſt tempore circiter octingenti vtriúſque armaturæ equites cum magna peditum Italorum copia, iuſſu Caroli regis (qui tunc Biturigibus agebat) Aureliam confluxêre: quibus præſtantiſſimi erant duces Ioannes Nothus Aurelius, Sanſeuerus equeſtris Francorum militiæ archiſtrategus, ſummíque vir ordidinis, Bulliæus, Iacobus Chabaneus, Chalmontius, Theoldus Valpergueus, Stephanus Vignolleus cognominatus Hira, Broſſius, Bouſſacus omnes ingenij & animi robore mentíſque magnitudine ſuſpiciendi, ſummáque rei militaris ſcientia. Eodémque tempore, Angli arci & munitionibus quas perfecerant, Glacidam virum fortem & ſtrenuum,

cum quingentis delectis militibus præficiunt, & in duas ſeſe acies pandunt, diuerſóque itinere alij Magdunum, alij verò Gergeum ſe contulerunt. Quo etiam die excurrendo populandóque per vallem Ligeris amnis, domos vacuas hominibus incendunt: & quoniam ferro non poterant in homines, in ędificia igne graſſantur. Pauliſper Aureliorum animos recreauit repentina Anglorum profectio, tametſi vrbis oppugnatio ſegnior non eſſet, Glacida ita impigrè rem gerente, vt maiorem exercitus partem abeſſe nec ciuis nec hoſtes ſentirent. Interim Aurelij certiores facti, Anglorum ingenteis copias ad vrbem oppugnãdam cogi, quòd omni ab oppidi latere, omnéſque ad portas erant ſuburbia in

agrum porrecta longo pleráque tractu, longíſque vijs, quorum partem Aurelij ciues animi cauſa magno ſumptu exædificauerant, conſilio ciuitatis conuocato docuerunt præfecti, ſalutis cauſa rei familiaris commoda negligenda. Itaque ſuburbia, quę non munitione & loci natura à periculo eſſent tuta, ne ijs Angli tanquam propugnaculis ad oppugnandam vrbem vterentur (maximè quòd cognorant Auguſtinenſium templum, quia non planè dirutum fuiſſet, magno vſui Anglis fuiſſe, firmiſſimæ munitionis & caſtelli inſtar præbuiſſe) incendi oportere. Hæc ſi grauia aut acerba videantur, multò illa grauiùs æſtimari debere, capta vrbe liberos, coniuges, Anglorum ſubire ſeruitutem, atque

interfici,quę ſint neceſſe accidere victis. Omnium conſenſu hac ſententia probata, vno die domus ingenio ac ſumptu extructę, quibus nulla in Francia priuata ædificia elegantiùs concinniúſque ædificata illa ætate conſpiciebantur, vnà cum delubris ſacris Agniani, Michaëlis, Victorini, Dominicanorum, Franciſcanorum, Carmelitarum, Mathurini incenduntur: omnibus in partibus incendia conſpiciebantur, quæ etſi magno cum dolore omnes ferebant, tamen hoc ſibi ſolatij proponebant, quòd ſeruata vrbe celeriter omiſſa recuperaturos confidebant. Atque haud ita multò pòſt celeriter magna multitudine peditatus equitatúſque coacta, Talbotus & Deſcalæus noui Aurelijs hoſtes acceſſerunt

runt cum magna vi baliſtarum, armorum, telorum, ac tormentorum omnis generis: quorum pilæ ſiliceæ octoginta & ampliùs pondo ſæpiùs emiſſæ, & muri pariter & interna vrbis ædificia diruebant. Nec verò Anglis minor metus minúſque inerat periculum, cùm pilæ ferreæ ab munitionibus, quas erectas ad Pulchram-crucem diximus, per feneſtras adactæ, interiora arcis ædificia diruerent, multóſque diſiectu lapidum fractorúmque parietum ruina paſſim opprimerent. Neque vllus periculo vacuus locus tota arce cuſtodibus interdiu, vel noctu relinquebatur. Nam Aurelij conſtitutis ſemel certo in libramento maioribus tormentis, atque his ad libellam directis, etiam per tenebras in ea quæ antè deſtinaſſent

loca, pilas certiſſima ratione conijciebant. Sed in dirigendis tormentis ſibi primas partes opinione hominum vendicabat quidam Lotharingus natione (vulgò magiſtrum Ioannem vocabant) cuius plurima opera in ea obſidione fuit. Hic enim adeò peritè glandes dirigebat, vt ſingulis propè horis ex columna Pulchræ crucis deſtinatis ac certis colubrinæ ictibus, multos veluti per iocum ac voluptatem interficeret. His rebus commoti Angli, magno cratium, ſcalarum, harpagonum numero effecto, media nocte ſilentio ex arce egreſſi, ad eas munitiones accedunt. Subito clamore ſublato crates proijcere, fundis, ſagittis, tormentis, lapidibus noſtros de vallo deturbare, reliquáque quæ ad oppugnationem pertinent

adminiſtrare: noſtri vt ſuus cuique erat locus attributus, ad munitiones accedere: fundis libralibus, ſudibúſque, quas in opere diſpoſuerant, ac glandibus Anglos perterrere: proſpectu tenebris adempto, multa vtrinque vulnera accipiuntur, complura tormentis tela conijciuntur: multis vndique vulneribus acceptis nulla munitione perrupta cum iam lux appareret, veriti Angli ne ex vrbe eruptione circunuenirentur, ſe ad ſuos receperunt. Sub id quoque tempus tormentum quod ab inſigni tormentorum magiſtro Gulielmo Duiſiæo confici iuſſerant Aurelij (huic canis nomen indiderunt) ad portulam querculi collocarunt: eíque adiunxerunt tormenta duo inuſitatæ magnitudinis rudi veterum ſeculo fabrefa-

cta, quorum alterum ab oppido Franciæ Monſarginus: alterum ab terribili ictus violentia Riflardus vocabatur, quibus ingentes ſaxei globi in propugnacula Anglorum cum maximo omnium terrore atque periculo emittebantur. Interceſſere pauci dies veluti tacitis inducijs vtrinque quiete ſumpta, per quos ingens vis Anglorum ducibus Lanceloto Liſlæo, Talboto, Deſcallæo ad vrbem oppugnandam venit, atque ad fanum Laurentij conſedit. Illud fanum Aurelij ad famam venturi hoſtis, multáſque alias ædes diuorum ſacras, & perampla cœnobia Magdalenæ, Euurtij, Lupi, quibus hactenus pepercerant, ſolo æquarunt: ne illa diuino cultui excitata, deterrimo generi militum diuerſoria præberent: & quæ placandi numinis

adyta fuerant, fundendi ſanguinis humani officinæ fierent: quoque die caſtra poſuerunt Aurelij, Notho Aurelio, Sanſeuero, Iacobo Chabanæo ac Hira ducibus, graui eruptione conflixerunt: ſed paucis vtrinque deſideratis in vrbem compuſi ſunt. Biduo pòſt ab inſigni generoſóque certamine, quatuor equitum inexpectatæ celebritatis ſpectaculum eſt editum: cum duo corporis & animi vigore florentiſſimi Vaſcones qui Hiræ ſigna ſequebantur, Gaſquetus & Vedillus, totidem ex hoſtibus prouocaſſent. Præferebatur certamini titulus; Si qui ex Anglis equeſtri gloria illuſtres eſſent, qui pro patria decurrere vellent, hos contra in ſtadio parem ad numerum ſtaturos Francos, & ſuæ atque alienæ virtutis ſine fraude periculum ex-

ſe facturos. Prodiere duo Angli: locus iuxta caſtra ſub publica fide funibus circumſeptus & præſidio vallatus certantibus conceſſus, cùm pari numero ex Francis & Anglis delectæ cohortes, pugnantes ſimul, & ſpectantes ab omni iniuria defenderent. Concurſum eſt infeſtis haſtis magno ardore, ſummis vtrinque viribus: ſed ſumma laus tandem Francis ceſſit. Nam cùm Gaſquetus ſuperior euaſiſſet, Anglo ephippio excuſſo, Vedillúſque & aduerſarius mutuo ictu penetratis vſque ad interulam tunicam ſolidiſſimis thoracibus, cùm vi tum conſtantia pares extitiſſent, dirempta eſt pugna, ne tantæ virtutis homines, qui non hoſtili rabie, ſed ingenuo quodam corporis atque animi vigore concurrerant, poſtquàm primum & ma-

ximum vitæ periculum euaſiſſent, non gloriæ, ſed fati caſibus ſe obiectare viderentur. Prima inſequentis anni (qui fuit vigeſimus nonus ſupra milleſimum & quadringenteſimum) pugna admodum cruenta, magnis vtrinque clamoribus inter vicum Flamberti & portam Vulpinam commiſſa eſt. Ibi cùm noſtri milites impetum hoſtium egregiè ſuſtinerent, atque aliquot horis fortiſſimè pugnaſſent, & paucis vulneribus acceptis complures ex illis occidiſſent, Angli omnem caſtris equitatum ſuis auxilio mittunt. Aurelij terga vertunt, fugientibus equites inſtant: fit magna cædes, multi capiuntur, plures vulnerantur: inter quos etiam vir fortis Abbas Cerquencæus ætatis ac ingenij vigore ad tractanda arma, quam ad obeun-

da ſacra paratior, grauiter vulneratus eſt. Erat ab ea regione portæ Vulpinæ proxima turris terrea muro coniuncta, quam magna celeritate & diligentia Aurelij excitari mandauerant, vt eſſet toti ei lateri cõtra hoſtium exercitum munitio ad eorum impetus repellendos (is locus ad hunc vſq; diem propugnaculi nomen retinuit ad paruam Lanienam: nec longè ab eo loco portæ Vulpinæ veteris veſtigia conſpiciuntur) eum locum nonnunquam interdiu, ſæpius noctu oppugnare conati Angli, operis munitione, & militum concurſu, & telis repulſi fuerant. Quod ægrè paſſi Anglorum duces, cohortes ex ſuis magnis propoſitis præmijs incendunt, vt aggredi caperéque munitionem vellent, qui re magno animo ſuſcepta, intempeſta

nocte eò ſe audaciſſimè contulerunt : & maximo clamore quaſi parta iam atque explorata victoria ſcalis vallum aſcendere cœperunt : Aurelij celeriter ad arma concurrunt : vallum conſcendunt: atrox prælium cum multorùm vtrinque cæde initum: Angli intra munitiones ex omnibus partibus tela conijcere : alij vallum manu ſcindere : alij foſſas complere. At tanta Aureliorum virtus atque ea præſentia animi fuit, vt cùm vndique maxima telorum multitudine premerentur, non modò demigrandi cauſſa de vallo decederet nemo, ſed penè ne reſpiceret quidem quiſquam : ac tum omnes acerrimè fortiſſiméque pugnarent. Hic dies Aurelijs longè grauiſſimus fuit, ſed tamen hunc habuit euentum, vt maximus numerus ho-

ſtium ex omni parte lapidibus ac telis coniectis vulneraretur atque interficeretur, vt ſe ſub ipſo vallo conſtipauerant, receſſúmque primis vltimi non dabant. Ita cùm magno detrimento repulſis Anglis, duces vtriúſque exercitus hoſtium, cohortes aliquot ex omni numero deligunt quæ maximam virtutis opinionem habebant: quid quoquo pacto agi placeat, occultè inter ſe conſtituunt, adeundi tempus definiunt: horam tertiam matutinam, iis copiis Talbotum & Lancelotum Liſlæum præficiunt. Hic ex caſtris Laurentianis hora conſtituta egreſſus, ad eam munitionem quam ſuprà demonſtrauimus contendit, eodémque tempore reliquæ copiæ duce Talboto ſeſe pro munitionibus Pulchræ crucis oſtendere cœperunt.

Pugnatur vno tempore duobus locis vtrinque ingenti clamore ſublato, atque omnia tentantur: quæ minimè viſa pars firma eſſe, huc concurritur. Aureliorum manus tantis copijs diſtinetur: nec facilè pluribus locis occurrit. Nothus Aurelius nouas cohortes laborantibus mittit, ipſe adit reliquos: cohortatur ne labori ſuccumbant, omnium ſuperiorum dimicationum fructum in ea hora docet conſiſtere: ad extremum Angli iniquitate loci & telorum ac lapidum maximè procella retardati atque deiecti, re infecta rediêre. Diebus inſequentibus non ſemel idem propugnaculum aggreſſi hoſtes, eundem ſemper euentum habuerunt. Nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittebatur, quæcúnque ad proximi diei

propugnationem opus eſſent, noctu comparabantur. Interiectis deinde aliquot diebus, Lodoicus Culanus Franciæ Thalaſſiarchus, vir domi nobilis, & multis militiæ geſtis clarus, Aurelijs ſubſidio venit, adduxítque grauis & leuis armaturæ delectos equites & ſpectatæ fidei ferè ducentos, qui ad Turriculas cum ſuis prouectus, adortúſque hoſtes ſubita incurſione, multis cæſis, Ligerim ad portum diui Lupi tranſgreſſus, Aureliam negotio fortiter confecto venit, maximámque virtutis opionem apud omnes vindicauit, qui tantum facinus ſingulari fœlicitate peregiſſet. Eo prælio ipſe ſublatus, quòd ducentis equitibus maximam hoſtium multitudinem propuliſſet, poſtero die (qui fuit Epiphaniæ ſacer) eruptione facta

cum Sanſeuero & Theoldo Valperguæo, cum hoſtibus qui erant in ſtatione pro caſtris collocati, acriter pugnauit. Sed cùm illi ſtationes diſpoſitas haberent, atque alios alij deinceps exciperent, integríque & recentes defatigatis ſuccederent, Culanus receptui cecinit, atque ita diremptum eſt prælium. Omnia experti Angli, quòd res nulla ſuccederet, duo propugnacula ex vtráque ripa Ligeris continenti totius exercitus labore erexerunt, vnum ad diui Laurentij, alterum è regione ad diui Prinæi fanum, foſſáque, vallo, & aggere præ alto munierunt: eo conſilio vti frumento commeatúque qui ex Siligonia ſupportabatur, Aurelios intercluderent. Eo enim loco, Ligeris vado tranſiri poterat, vt vtrumque mutuis auxilijs ſubitò tradu-

cendis alteri præſidio foret, atque præſidium vtrique quod ſatis eſt viſum imponunt. Quo etiam tempore Biturigibus magna vis ſulphurei pulueris, minorum tormentorum, baliſtarum, armorum, telorúmque omnium ac commeatuum ſubmittente Carolo rege Aureliam aduecta eſt: Turriculæque maioris tormenti violentia, pinnarum corona, ingenti murorum ruina edita, interfectíſque aliquot Anglis ita enudatæ ſunt, vt nemo iam editis in locis conſpiceretur. Interiecto deinde tempore Nothus Aurelius, *Sanſeuerus* & Chabanæus, audaci conſilio, intempeſta nocte, de improuiſo caſtra Laurentiana circunueniunt. Quod magnæ ſibi gloriæ futurum apud ciues, atque adeò ipſum regem Carolum reban-

tur, ſi non defenſuros modò mœnia, ſed hoſtium caſtra adoriri auſuros ſe oſtenderent. Angli perculſi tumultu inſolito, arma capere: alij ſeſe abdere: pars territos confirmare: trepidare omnibus locis: vis magna hoſtium, cœlum nocte, atque nubibus obſcuratum, periculum anceps. Tandem coniuncto ad tumultum vniuerſo exercitu, ac primò ſagittariis funditoribúſque circũiectis, poſtea leuis armaturæ magna multitudine miſſa, Aurelij cùm premerentur, veritus Nothus Aurelius, ne nō reducti, ſed reiecti viderentur, maiúſque detrimentum caperetur, ſuos cohortatus, in hoſtes impetum fieri iuſſit: milites incitati, curſu præcipites Anglos egerunt, noſtri verò qui ſatis habebant ſine detrimento diſcede-

re, compluribus interfectis quietiſſimè ſe receperunt. Non parua tanto uſu collecta apud ciues gratia, cùm non ad inanem victoriæ ſpem, ſi pari ſucceſſu primis initijs media reſpondiſſent, operam longè promptiſſimam ea nocte nauaſſe dicerentur. Sed nox atque præda caſtrorum, quominus victoria potirentur, remorata ſunt. Nec multò pòſt venere in caſtra milites mille ducenti, Ioanne Faſcoto duce, qui quòd cõmeatum affatim, & pulueris ſulphurei pilarũq; & tormẽtorũ apparatũ adduxiſſent, ſumma omniũ Anglorũ gratulatione excepti ſunt. Poſtero die, qui fuit decimus ſeptimus Ianuarij, accidit, quod portenti loco miraculóque Aurelijs fuit, vt pila maioris tormẽti è munitionibus Anglorum emiſſa ad Parrhiſi-

nam portam (vulgó Banieriam appellant) in cœtum centum & ampliùs hominum caderet, ſic vt vni tantùm militi Franco calceus illæſo pede abriperetur. Eodem quoque die ſex Franci totidem ex hoſtibus ad certamen prouocarant, nulla quidem priuata ſimultate: ſed vt ſi eſſent aliqui in caſtris Anglicæ indolis contrà progrederentur, & paribus armis pro gloria decertarent: cúmque iam indictis inducijs vt omnes ſpectaculo intereſſent, locus (cui columbario Turpini nomen erat) ſub publica fide deſignatus & paratus eſſet (is locus hoc tempore, vrbe nimirum maximè adaucta, Columbarij vicus appellatur) Angli, quanquam auidè expectantibus Francis atque prouocantibus, auſi prodire non ſunt. Ga-

ſteliernis ſub hæc ciuis nobilis ac ſtrenuus dum in hoſteis baliſtam dirigeret, tormento è Turriculis emiſſo interſectus eſt. Eodem tempore cùm mercatores quidam magnam pecoris, commeatûs, rerúmque venalium copiam priuato conſilio Aureliam conueherent, in itinere quorumdam è Chandillonio vico proditione ab Anglis intercepti, exuti præda ac fugati ſunt. Quo tumultu ad vrbem perlato, Aurelij ad recuperandam prædam quam Angli ad diuum Lupum traiiciebant, vindicandáſque iniurias vehementer excitati erumpunt, & ad molas frumentarias diui Agniani Ligerim traijciunt. Erat ab ea parte haud longè à pago diui Ioannis (cui ab albore nomen eſt) locus ſylueſtris crebris arboribus enatis & rubis ſentibúſque

nteriectis, quò non modò non ntrari, ſed ne perſpici quidem ntrorſus poſſet. intra eum locum Angli magnam manum collocarant: in aperto loco ſecundum flumen paucæ ſtationes equitum videbantur: equites Franci cum funditoribus ſagittariíſque flumen tranſgreſſi cum hoſtium equitatu prælium commiſerunt. Cùm ſe illi identidem in fruticetum ad ſuos reciperent, ac rurſus è fruticeto in noſtros impetum facerent, neque noſtri longiùs quàm quem ad finem porrecta ac loca aperta pertinebant, cedentes inſequi auderent, ſubitò omnibus copijs prouolarunt, impetúmque in noſtros fecerunt. Aurelij vbi præter ſpem quos fugere credebant infeſtis ſignis ad ſe ire viderunt, impetum modò ferre non potuerunt;

ac primo concurſu in fugam cō-
iecti flumen repetunt : ibi per-
pauci aut viribus confiſi tranare
contendunt, aut lintribus inuen-
tis ſalutem ſibi pepererunt, reli-
quos tranſire conantes conſe-
quuti gladiis partim ceperunt,
partim interfecerunt. Nec mul-
tis inde diebus Angli ingenti re-
pentinóque impetu & magnis
clamoribus propugnaculū Vul-
pinæ portæ adoriuntur. Milites
Aureliúſque ſimul populus ad
tumultum excitati, impigrè ar-
ma capiunt: & nullo neque certo
ordine, neque imperio, vel reti-
nente Sanſeuero alijſque tribu-
nis, vrbem egreſſi hoſtem inua-
dunt : Angli alij poſtremos cæ-
dere, pars à ſiniſtra ac dextra
tentare, infenſi adeſſe, inſtare
atque omnibus locis Aurelios
conturbare: facies totius nego-

ij varia, incerta, fœda atque miſerabilis. Diſperſi à ſuis pars cedere, alij inſequi, neque ſigna, neque ordines obſeruare: vbi quemq; periculũ ceperat, ibi reſiſtere ac propulſare: arma, tela, equi, viri, hoſtes atque ciues permiſti, nihil conſilio neque imperio agi, fors omnia regere. Itaque multum diei proceſſerat, cùm etiam tum euentus in incerto erat. Denique omnibus modis labore & æſtu languidis Aurelijs, Sanſeuerus vbi videt Anglos inſtare minùs, palatim milites in vnum conducit, ordines reſtituit, ſimul & cohortes quæ in ſtationibus erant, in eam partem proficiſci iubet, orare, & hortari milites ne deficerent animo. Nec Lancelotus Liſlæus qui Anglorum co; ijs præfectus erat, quidem interea quietus erat, circui-

re, hortari, renouare prælium, & ipſe cum delectis tentare omnia, ſubuenire ſuis, hoſtibus dubijs inſtare: denique amiſſo loco Angli fuſi fugatíque, permulti interiere, pleróſque velocitas tutata eſt: eo die milites Aurelij ſunt multi deſiderati. Sanſeuerus concione aduocata temeritatem cupiditatémque militum reprehendit, quod ſibi iudicauiſſent quò procedendum, aut quid agendum videretur, neque à tribunis militũ retineri potuiſſent: quantopere eorum animi magnitudinem admiraretur, tantopere licentiam arrogantiámque reprehendere: quòd plus ſe quàm duces de exitu rerum ſentire exiſtimarent: nec minùs ſe in milite modeſtiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem deſiderare. Hac ha-

bita concione ad extremum oratione confirmauit militum animos, ne ob hanc cauſam animo permouerentur: neu quod confuſio attuliſſet id virtuti hoſtium tribuerent. Tentauerunt hoc idem Angli paucis pòſt diebus, maioréque cum fiducia multò maioribus copijs coactis, ad idem propugnaculum eruptione pugnauerunt. Sed Aurelij proximę pugnæ cauſa admoniti, omnia ſumma diligentia ad defenſionem parauerant. Itaque pluribus ex illis crebra tormentorum emiſſione fœdè miſeréque interfectis, reliquos in caſtra repulerunt. Cecidit eo prælio Anglus quidam magni nominis (verùm nomen authores non adijciunt) quem ſemianimem nonnulli equitum in pedes deſilientes, ſublatum in caſtra multo cum lu-

ctu retulerunt. Redierant à rege per eos dies Villarius, & Santrailla cum Potone fratre, quos legatos ad eum Aurelij miſerant, orantes vt auxilia mitteret: quando in ea fortunæ iniquitate neque opem aliunde implorare, neque præſentia ſubſidia afflictis rebus expectare poſſent: in cuius rei celeritate totius Franciæ ſalutem ac dignitatem eſſe poſitam. Rex tot tantíſque obſeſſus rebus cui rei primò occurreret ambigebat: ijs tamen propediem auxilia ſe miſſurum pollicitus eſt: non quia facere poſſet quæ promittebat, ſed vt ſpe impletos in ſocietatis iure retineret. Angli interim vt incommoda ſarcirent, cùm viderent Francicam aciem portæ Parrhiſinæ propugnaculo eductam, eo loco imprudenter collocatam, vbi aduerſi

uerſi Solis radij oculos magnopere perſtringebant, copias caſtris educunt, extemplóque impetu facto celeriter Aurelios perturbauerunt, atque in fugam coniecerunt, neque priùs ſequendi finem fecerunt, quàm muro oppidi, portíſque appropinquarent. Sed præſidiarij à propugnaculo tormenta emittentes, & ſagittas ſaxáque maximè in ſubiectos iaculantes, eos viginti interfectis ac captis compluribus auerterunt, vno ſuorum tantum amiſſo quem tormenti pila è vallo miſſa traiecerat. Atque inter hæc magno luctu occupata ſunt Anglorum caſtra, quòd inclytæ virtutis ducem hoſtilis tormenti ictu amiſiſſent. Nam Hira & Lancelotus Liſlæus Tribunus militum Anglorum, fide data atq; accepta ad

colloquium cum veniſſent, ac dirēpto colloquio vterque ad ſuos ſeſe reciperet, ex vrbe emiſſa pila, Lanceloto caput abſcidit. Eo interfecto Aurelijs mirũ in modum creuere animi, veluti cum eo duce Anglorum quoque vires concidiſſent. Ille enim erat vnus ex omnibus maximè timendus, erat ei conſilium ad facinus aptum: conſilio autem manus non deerat: nihil erat quod non ipſe obiret, occurreret, vigilaret, laboraret. Hunc hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam vigilantem, tam diligentem niſi Dei voluntate ſuſtuliſſent Aurelij, non facilè poſtea hanc tantam molem mali à ceruicibus ſuis depuliſſent.

AVRELIÆ VRBIS ANGLICANA OBSIDIO: & ſimul res geſtæ Ioannæ Darciæ, vulgò puellæ Aurelianenſis.

LIBER SECVNDVS.

SVMMARIVM LIBRI.

DVCES Aurelij egreßi vrbe cum ingentibus copijs Anglos prouocant ad certamen minimè auſos prodire. Ala Anglorum cæſa ab Aurelijs. Aurelij paucis poſt diebus cæſi viciſsim ab Anglis. Legati reuerſi Aureliam à Re-

ge, auxilium renunciant breui adfuturum mille & quingentorum equitum. Ad Roboretum Sancti Dionyſij propè Ienuillam commiſſum prælium, vulgò Halecum appellatum. Maxima in Vrbe conſternatio. Nothus Aurelius conſolatur populum & militem. Egregia oratio Nothi Aurelij. Legatio ad Burgundionem. Burgundio deſpectui habitus ab Anglo.

NEC multò pòſt Sanſeuerus, Iacobus Chabanæus, Hira, Couraſius cùm iam nihil magnoperè ſibi ab Anglis pertimeſcendum putarent, copias ex vrbe educunt, atque ad caſtra hoſtium progreſſi, aciem idoneo loco conſtituunt, vt Anglos inſultando, prouocandóque ad certamen

elicerent. Sed illi diſpoſitis vndique tormentis copias ita eduxerunt, vt à munitione minimè diſcederent. Denique tantùm facto equeſtri prælio, in caſtra ſeſe receperunt: Aurelij duces ſatis ad Anglicam oſtentationem minuendam militúmque animos confirmandos factum exiſtimantes, in vrbem copias reducunt, ne quidem inſequutis hoſtibus. Per idem fermè tempus Sanſeuerus, Chabanæus, Hira, Poto, Chailliæus cum ducentis equitibus vrbem egreſſi, alam vnam equitum Anglorum, duce Deſcallæo, longiùs è caſtris ad Magdalenæ progreſſam adorti, cæſis compluribus ac captis quatuordecim magna ex parte deleuerunt: quod tamen incommodum Angli paucis pòſt diebus aliqua ex parte ſarcierunt. Nam

cùm Iacobus Chabanæus, Renaldus Frataineus, & Burgius Barra cum aliquot equitibus magno ſilentio vrbem egreſſi, Bleſas ad Claromontanum Comitem proficiſcerentur, ab Anglis conſpecti in eos fit impetus. Conſeritur ingenti tumultu prelium, & circunuenti ab omni parte fortiter depugnant, ita vt tantæ multitudinis impetus egregiè, à paucis ſuſtineretur. Sed dum Angli à fronte, à tergo, lateréque omni acriùs ac inſolentiùs laceſſunt, Burgia Barra cùm aliquot equitibus capitur. Chabanæus & Frataineus ſeſe ab circumfuſis Anglis eripiunt ac ſeruantur. Sub hæc Theoldus Valpergueus, & Ioannes Leſcotus non multò antè ad Carolum Regem profecti legati, Aureliam redierunt: renuntiarúntque ab eo magno ſtu-

dio comparari auxilia, eáque primo quoque tempore adfutura. Atque eodem tempore vtriúſq; armaturæ equites mille vrbem ingrediuntur: quibus cultu virtutéque nihil ornatius eſſe poterat. Inter quos eminebant Guiielmus Stuardus Scotus, Gaucurtius & Verducanus, nec multò pòſt Alebretus cum ducentis equitibus, Gilbertus Faiæus Borbonius equeſtris Francorum militiæ Archiſtrategus, cum trecentis equitibus venerunt, quibus acceſſerunt alæ ſclopetarij equitatus aliquot.

Interim cùm certis rumoribus ac nuntijs eſſet allatum Lutetiâ noua Anglis aduentare auxilia, Nothus Aurelius cum equitibus ducentis, Bleſas ad Comitem Claromontanum mittitur, vt communicato cum illo conſi-

lio, quibus in locis quamque ad diem Francorum copiæ Anglis eſſent opponendæ conſtituerent. Itaque poſtridie eius diei Claromontanus cum quatuor hominum millibus ad Roboretum diui Dionyſij (qui vicus abeſt ab Ienuilla quatuor paſſuum millibus, quemque vulgò Rouuereum appellant) qua Anglis erat iter faciendum conſedit, non omnino pleno exercitu, quòd non omnes qui expectabantur erántque in itinere equites peditéſque conuenerant. Alia ex parte Nothus Aurelius, Gulielmus Alebretus, Gulielmus Stuardus, Sanſeuerus, Grauillus, Santrailla, Hira, Poto, Verduranus cum militibus mille quingentis Aureliâ profecti, alio oportuno loco, haud longè ab alijs, ſuos continent. Qui cùm

hoſtes patentibus in campis diſ-ſoluto agmine properare audiſ-ſent, priuſquam munirentur, profligari poſſe iudicabant. Verùm quia frequentibus nuntijs à Claromontano erat eis præceptum ne prælium committerent, niſi ipſius copiæ propè viſæ eſ-ſent, vt vndique vno tempore in hoſtes impetus fieret, prælio abſtinere cogebantur. Hoſtes verò cùm omnia ferè ſuperiora loca multitudine armatorum completa conſpicerent, neque ſubſidio veniri interclusis itineribus poſſet: propè iam deſperata ſalute nonnullæ huiuſmodi à quibuſdam ſententiæ dicebantur, vt impedimentis relictis, eruptione facta, ijſdem itineribus quibus eò perueniſſent, ad ſalutem contenderent: maiori tamen parti placuit, hoc reſeruato ad extremum

conſilio, interim rei euentum experiri. Breui itaque ſpatio interiecto, pro vallo carris obiectis cùm vndique munirentur, locis patentioribus cuneatim conſtiterunt, hoc animo vt ſi qua ex parte obuiam contraueniretur, acie inſtructa depugnarent. Iam funditores Franci pilis miſſis Anglos laceſſere incipiebant, cùm Ioannes Stuardus vir Scotus è Stuarda regia familia, Scotorum equitum Magiſter, qui eò cum equitibus quater centum venerat, vt erat pugnaci ingenio, & ad omnem vel dubiæ pugnæ aleam parato, quin confligeret vel obteſtantibus obſiſtentibúſque alijs, retineri non potuit: priuſquam enim hoſtes longiùs recederent, confeſtim audendum, fortibúſque animis inuadendos iudicabat: vel exigua

namque mora emitti è manibus, neque poſtea vt æqua conditione confligeretur occaſionem fore. Ipſius exemplo Gulielmus Stuardus frater, Nothus Aurelius, Oruallus, Ioannes Meilachus, Mompipeus, Caſtellobrunæus, Ioannes Leſcotus, Verduranus, Rochachoartus, infelici conſilio amotis equis, quo militibus exæquato periculo animus amplior eſſet, in pedes deſilierunt, aciéque inſtructa ad caſtra hoſtium contendunt: qui omnibus rebus ſubitò perterriti, cùm exiſtimarent omnes Francorum copias aduentare, neque conſilij habendi, neque arma capiendi ſpatio dato perturbabantur, vt copiáſne aduerſus hoſtem educere, an caſtra defendere, an fugâ ſalutem petere, neſcirent quid præſtaret. Sed Fortuna quę

plurimũ poteſt cùm in reliquis rebus, tum præcipuè in bello, paruis momẽtis, magnas rerum commutationes efficit, vt tum accidit. Nã Angli cognitâ Francorum paucitate, cùm longiùs abeſſe Claromontanum cum robore exercitus viderent, eruptione facta, infeſtis ſignis tanta vi in Francos impetum fecerunt, vt maior pars conuerſa non ſolùm loco excederent, ſed protinus incitati fuga caſtra repeterent. Angli animos tollere, & in perculſos Francos acriùs incedere. Tum ſpectaculum horribile in campis patentibus, ſequi, fugere, occidi, capi, multi vulneribus acceptis, neque fugere poſſe, neque quietem pati, niti modò, ac ſtatim concidere. Poſtremò omnia quà viſus erat, conſtrata telis, armis, cadaueri-

bus; & inter ea humus infecta ſanguine. Hira & Poto frater, qui haud longè à prælio cum turma equitum conſtiterant, vbi ſocios premi & penè circunuentos teneri equites, funditores diuerſos, diſſipatóſque in omnes partes fugere, omnibus ferè cohortium præfectis aut occiſis, aut vulneratis, in his Notho Aurelio fortiſſimo viro, multis grauibúſque vulneribus confecto, vt iam ſe ſuſtinere non poſſet, hoſtes ab vtroque latere inſtare, & rem eſſe in anguſto vident, in primam aciem cum ſua turma procedũt, centurionibúſque nominatim appellatis, reliquos cohortati milites ſigna inferre in hoſtes iubent. Horum aduentu ſpe illata militibus, ac redintegrato animo, cùm pro ſe quiſque in conſpectu tantorum virorum etiam

in extremis ſuis rebus operam nauare cuperet, paulum hoſtium impetus tardatus eſt : quo facto ſeſe cum Claromontano coniunxerunt. In eo prælio ceciderunt ex Francis quadringenti & ampliùs homines, atque in his paulò clarioris nominis Alebretus Oruallus, Gulielmus Stuardus, Verduranus, Chaſtellobrunæus, Rochachoartus, Ioannes Chabotus, & vir fortiſſimus Ioannes Stuardus ampliſſimo genere natus. Hic cùm fratri intercluſo ab hoſtibus auxilium ferret, illum ex periculo eripuit. Ipſe vulneratus quoad potuit fortiſſimè reſtitit, cùm circunuentus multis vulneribus acceptis cecidiſſet, atque id frater, qui iam prælio exceſſerat procul animaduertiſſet, citato pede, ſeſe hoſtibus obtulit, atque interfe-

ctus eſt. Claromontanus qui eo ipſo die equeſtri dignitate donatus fuerat, cùm ab alto ſociorum cædem fugámque conſpiceret, vt inſtructa acie deſcendere, atque opem laborantibus ferre vellet (quòd contra imperium prælium commiſiſſent) nulla ratione adduci potuit: ſpectator editæ cædis potiùs, quam circunuentis & oppreſſis adiutor. Quòd ſi cum ſuis (quorum erat magnus numerus) in hoſtes impetum audacter feciſſet, honeſtiorem res exitum habuiſſet. Id prælium vulgò vocatum eſt Halecum: qua ratione nobis non conſtat, niſi fortè Angli præter alios commeatus, magnam quoque halecum copiam ad Quadrageſimam (nam pugnatum eſt pridie idus Februarij) conueherent. His ſicut acta erant in vrbe nun-

tiatis, omnes relictis domibus per vrbem diſcurrere pauidi: alius alium ſciſcitari: authores nuntij requirere. Non pueros imprudentia, non ſenes debilitas, non mulieres ſexus imbecillitas domi tenet: adeò ad omnem ætatem tanti mali ſenſus penetrauerat: Alij fratres, aut filios, aut parentes deflere, cognatos alij, alij amicos chariores cognatis, & cum priuatis caſibus querelam publicam miſcere. Iam ſeipſos, iam ipſam patriam perituram: miſeriorémque incolumium quàm amiſſorum fortunam iudicantes: ſibi quiſque ante oculos obſidionem, famem, & ſuperbos victoréſque hoſtes proponentes: iam ruinam vrbis & incendia, iam omnium captiuitatem & miſerrimam ſeruitutem recordantes, feliciores prorſus

aliarum Franciæ vrbium ruinas ducentes: quæ incolumibus filijs parentibúſque, tectorum tantum ruina taxatæ ſint. Sic deflectæ ac propè perditæ vrbi hoſtes victores ſuperueniunt, & obſidione grauiori circundant. Nothus Aurelius in vrbem reuerſus, Aurelios conſolatus cohortatúſque eſt ne ſe admodum animo demitterent, néve perturbarentur incommodo: non virtute neque acie viciſſe Anglos, ſed factum temeritate eorum, qui prælium non expectatis ſocijs commiſerunt, vti hoc incommodum acciperetur: id tamen ſe celeriter maioribus commodis ſanaturum: adeſſe enim cum magno exercitu Claromontanum, quo vrbs ipſa facilè poſſit defendi: errare ſi qui in bello omnes ſecundos rerum euentus expectent.

Interea æquum eſſe ab ijs communis ſalutis cauſſa impetrari, vt vrbem diligentiùs munire inſtituerent, quo faciliùs hoſtium repentinos impetus ſuſtinere poſſent. Fuit hæc oratio non ingrata Aurelijs, maximè quòd ipſe animo non defecerat tanto accepto incommodo, neque ſe in occultum abdiderat, & conſpectum multitudinis fugerat. Itaque vt reliquorum ducum res aduerſæ authoritatem minuunt: ſic huius ex contrario dignitas, incommodo accepto in dies augebatur. Sed tantis Aureliorum malis etiam repentinus Claromontani Comitis ab vrbe diſceſſus veluti quidam ærumnarum cumulus acceſſit. Nam illæ paucos Aureliæ poſt cladem ad Roboretum diui Dionyſij acceptam commoratus dies, cum Hi-

ra, Lodoïco Culano Franciæ Thaláſſiarcho, Renaldo Carnutenſi Rhemorum Archiepiſcopo Franciæ Cancellario, Ioanne à diuo Michaële Aureliorum Epiſcopo, & pluribus cohortium præfectis, militúmque delectorum duobus millibus, vrbe exceſſit. Quæ res Aureliorum animos, & eam ſpem præſertim quam de Comitis erga ſe voluntate anteà conceperant (quanquam ille ſe primo quoque tempore rediturum iureiurando polliceretur) magnoperè debilitauit. Compluresiam Tribuni militum, & primorum ordinum centuriones ſe planè deſertos, & ſalutem ſuam detractis omnibus auxilijs penè proditam querebantur: quódque fortibus viris quibus aperto in prælio egregiè mori non liceret, tam fœdè pau-

latim eſſet pereundum, dum ea & nihil demum profutura conſtãtia, regiam illam verius quàm vrbem tueri aduerſus vndique victorem exercitum conarentur: ſatisfactum abundè eſſe datæ fidei, cùm alijs ferè omnibus ad Anglos deficientibus, ipſi vni omnium ad extremum pro Regis ſalute mortem oppetere minimè recuſarint. Inſani profectò eſſe conſilij, pro Rege à dijs pariter ac hominibus profligato ac deſerto perire malle, quàm victoris clementiam ac liberalitatem experiri: cùm facultates ei eſſent in tam opima victoria, ad gratiam, ſi ſe vrbémque maturè dederẽt, vberioribus præmijs referendam. Dum hos maximè ſermones in ſtationibus ſerunt, præfecti concilio coacto de exitu fortunarum ſuarum conſultabant:

ac varijs dictis ſententijs, quarũ maior pars deditionem, pars dum vires ſuppeterent eruptionem cenſebant, non prætereunda videtur oratio Nothi Aurelij, propter eius ſingularem virtutem. Hic Ludouici Ducis Aurelij Lutetiæ noctu à percuſſoribus immiſſis per Ioannẽ Burgundię Ducem cæſi filius ſpurius fuit, & magnæ habitus authoritatis. Nihil (inquit) de eorum ſententia dicturus ſum, qui turpiſſimam ſeruitutem deditionis nomine appellant, neque hos habendos ciuium loco, neque ad conſilium adhibendos cenſeo. Cum ijs mihi res ſit qui eruptionem probant: quorum in conſilio omnium veſtrum conſenſu, priſtinę reſidere virtutis memoria videtur. Animi eſt iſta mollicies non virtus, inopiam pauliſper ferre

non poſſe: qui ſe vltrò morti offerăt facilius reperiuntur, quàm qui dolorem patienter ferant. Atque ego hanc ſententiam probarem (nam apud me multum dignitas poteſt) ſi nullă præterquă vitæ noſtræ iacturam fieri viderem. Sed in conſilio capiendo omnem Franciam reſpiciamus, quæ in huius vrbis incolumitate conſiſtit: nolite eam aut ſtultitia veſtro auxilio ſpoliare, aut temeritate veſtra, atque imbecillitate animi proſternere, ac perpetuæ ſeruituti addicere. Quid enim aliud petunt Angli, aut quid volunt niſi inuidia adducti, quos fama nobiles potentéſque bello cognouerunt, horum in agris ciuitatibúſque conſidere, atque his æternam iniungere ſeruitutem? neque enim vnquam alia conditione bella geſſerunt.

Reſpicite cæteras Franciæ vrbes, quæ ſecuribus ſubiectæ, perpetua premuntur ſeruitute, quæque omnia patiuntur, quæ crudeliſſimi atque importuniſſimi tyranni ſcelera in oppreſſas ciuitates edunt. Omnes rapiunt, ſpoliant, verberant, vulnerant, occidunt, conſtuprant matronas: fiunt in virgines ingenuas raptus ex complexu parentum: quotidie capiuntur vrbes quæ deditionem fecerunt, quotidie diripiuntur: dies noctéſque paſſim omnia mulierũ puellarúmq; quæ rapiuntur atque aſportantur, ploratibus ſonant. Proinde videte an veſtram vrbem fortibus animis ſeruare, an crudeliſſimo atque auariſſimo hoſti prodere malitis. Perpauci ac fermè optimus quiſque Notho aſſentiebantur, ſed (vt plerunque fit)

maior pars meliorem vicit. Itaque Potonem Santraillam, & cum eo idoneos ex numero ciuium, non ad Anglos, ſed ad Philippum Burgundionem, qui de deditione cum eo agant, legatos decernunt: qui Aureliæ vrbis & tot fortiſſimorum hominum ſalutem demiſsè ac ſuppliciter illi commendent, deprecantes ne veteris neceſſitudinis quæ Burgundionũ familiæ cum Aurelijs ducibus extitiſſet, obliuiſci vellet: pertinere porrò ad publicam Franciæ totius exiſtimationem, & ad ipſius ducis dignitatem, vrbem Aureliam à barbaris exercitibus ſeruari: quã ſi vnam peſſundabunt, tutum illum reliquóſque deinceps Gallos principes non futuros: decere ipſum qui in Galliæ præclara parte natus cœlum hauſerit, reli-
quos

maior pars meliorem vicit. Itaque Potonem Santraillam, & cum eo idoneos ex numero ciuium, non ad Anglos, ſed ad Philippum Burgundionem, qui de deditione cum eo agant, legatos decernunt: qui Aureliæ vrbis & tot fortiſſimorum hominum ſalutem demiſsè ac ſuppliciter illi commendent, deprecantes ne veteris neceſſitudinis quæ Burgundionũ familiæ cum Aurelijs ducibus extitiſſet, obliuiſci vellet: pertinere porrò ad publicam Franciæ totius exiſtimationem, & ad ipſius ducis dignitatem, vrbem Aureliam à barbaris exercitibus ſeruari: quã ſi vnam peſſundabunt, tutum illum reliquóſque deinceps Gallos principes non futuros: decere ipſum qui in Galliæ præclara parte natus cœlum hauſerit, reli-
quos

quos Gallos tueri potius, quàm exterarum nationum, plúſque per ſe appetentium vires opéſque, quibus vaſtitatem non modò Franciæ, ſed etiam vniuerſæ Galliæ inferant, augere. Burgundio Aureliorum animos verbis confirmauit, pollicitúſque eſt ſibi eam rem curæ futuram: magnam ſe habere ſpem, & beneficio ſuo, & authoritate adductos Anglos, finem obſidioni facturos: & ſecundum ea multæ eum res hortabantur, quare ſibi eam rem cogitandam & ſuſcipiendam putaret. Nam tametſi incredibili vlciſcendæ iniuriæ cupiditate ferebatur, cùm tamen & Anglorum regem magnæ per ſe potentiæ, multò maiorem ſuo permiſſu fieri, & illam nationem in poſſeſſionem Franciæ venire ſibi reliquíſque principi-

bus Gallis periculoſum exiſtimaret futurum, neque homines feros ac barbaros temperaturos, quin cùm omnem Franciam occupaſſent, in Burgundiam exirent, exploratum haberet, quàm maturrimè occurrendum putauit. Quamobrem ad ducem Bedfordienſem, quem ad tutelam captarum in Francia vrbium Anglorum rex reliquerat, profectus eſt, ab eóque poſtulauit, quoniam ſuo beneficio Anglus, Franciæ rex appellatus eſſet, hanc ſibi gratiam referret, vt Aureliorum ducem in Anglia captiuum propinquum ſuum iniurijs non laceſſeret, néve Aureliæ vrbi bellum fieri pateretur: ſi ita faceret, ſibi perpetuam gratiam atque amicitiam cum Anglis futuram. Bedfordienſis verò tumens ex ſucceſſu rerum ſper-

nere iam ipſum Burgundionem ſuperba ac barbara inſolentia cœperat. Itaque reſpondit minimè conuenire cùm ipſe plagas feris tetendiſſet, capturam alteri cedere.

AVRELIÆ VRBIS ANGLICANA obſidio.

LIBER TERTIVS.

SVMMARIVM LIBRI.

Burgundio ſuas copias reuocat è caſtris Angli cum ſeuera denunciatione ſupplicij. Puellæ Aurelianenſis genus, patria, parentes, &c. Hæc diuino afflata numine Aureliam & regnum ipſum mirifice reſtituit. Humaniter Chinonij à Rege excepta. Enſem in vſum Belli à Rege poſtulat, quem diuinitus præſenſerat latere in fano quodam

diuæ Catharinæ agro Turonenſi. Pyrum arborem, vbi puella conſidens ad Bleſas monita erat de adeundo Rege immunem perpetuò à carie extitiſſe, fulmine, grandine; aliiſque aëris iniuriis vſque ad tempora ſcriptæ huiuſce hiſtoriæ. Impetus Aureliorum in hoſtes ad portam Pariſinam. Gloria & virtus Nothi Aurelij. Anglorum & Nothi Aurelij mutua inter ſe munera. Ligeris magna exundatio. Ioannes Lotharingus tormentorum & machinarum præfectus. Græus Anglus Regiæ nobilitatis iuuenis interfectus: pugna ingens ad propugnaculum crucis Buxeæ. Duo equites tanquam deſertores, Maieſtatis damnati à Notho Aurelio atque in crucem acti. Alani Beiæi Præſidis Aureliani mors. Miſſus fœcialis à viragine Lotharingâ ad Anglos in caſtra: & ſumma literarum vira-

ginis: facta induciæ circa Paſcha. Puerile certamen Aureliorum cum æqualibus Anglorum pueris. Magna vis commeatus in vrbem aduecta. Nothi Aurelij cœptum egregium. Anglorum magna cædes.

HOc ſuperbo reſponſo offenſus Burgundio, ſtatim tubicinem in caſtra Anglorum miſit, qui omnibus ſuæ ditionis hominibus denuntiaret, vt continuò caſtris excederent: id ni feciſſent, magno eorum capitis periculo futurum. Iam Franciæ tempora ſummum aliquem ducem poſtulabant, qui tot hoſtibus capitali Franci nominis odio irruentibus obſiſteret: tantámque vim atque impreſſionem ſuſtineret, & immi-

nentem procellam cœleſti fretus auxilio, in hoſtes auerteret, qualem diuinitus obtigiſſe rei exitus loquitur. Nam virguncula quædam obſcuri generis in Barrenſium ducatu ad Dompremium Valliſcoloris agri vicum, Iacobo Darco patre, ac Iſabella matre nata (dubio procul afflata numine) rem inclinatam fortiter reſtituit, Anglos Franciâ exegit, Carolum Rhemos perduxit: illíque vt ratum imperium more maiorum fieret, effecit: Aureliorum vrbem graui obſidione liberauit. Huic virgini (dum hæc ſic ad Aureliam adminiſtrantur) patris oues ruri paſcenti, ſpecies quædam humana auguſtior obuerſata eſt: ad cuius occurſum cùm pauore conſternata propéque exanimata fuiſſet, bono animo eam eſſe iuſſit, & vt Caro-

lum Regem adiret mandauit, vt & Aureliam obſidione liberaret, & ei regnum aſſereret. Et quanquam haud ſanè liber erat religione animus, verecundia tamen timorem vicit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret. Sed cùm eadem illa ſpecies iterum ei obuerſata eſſet, conſilio propinquorum adhibito cùm viſa atque audita expoſuiſſet, conſenſu inde haud dubio omnium, ad Robertum Baudricurtium Valliſcoloris præfectum deducta eſt: vbi primò riſu excepta ac ludibrio habita eſt. Sed cùm Baudricurtium de clade ad Roboretum diui Dionyſij accepta, déque Aureliorum periculo admoneret, eámque honeſtam ac ſanæ mentis iudicaret, quod etiam omnium municipum teſtimonio quæſtione habita com-

probatum fuerat, virili veſte indutam duobus equitibus Ioanne Metenſi & Bertrando Pulengeio, duobúſque ex fratribus comitatam, ad regem (qui tum Chinonij agebat) miſit, ad quem nullo hoſte prohibente, aut iter demorante, incolumis cum ſuis, paucis diebus cùm veniſſet, Regémque ipſum (quem nunquam viderat) data opera minùs pretioſis veſtibus indutum inter proceres Regio habitu ornatos agnouiſſet, admiratus nouitate rei, maximéque quòd tutum ac paratum iter habere potuiſſet, cùm tantum terrarum in tergo reliquiſſet, tot hoſtiles vrbes, tot infenſos populos, eam comiter excepit, præſentibúſque omnibus proceribus attentiſſimè audit. Eadem autem illa quæ dudum Baudricurtio, ingenti

omnium admiratione cùm enarraſſet, Rex vt morem ſuperiorum Regum imitaretur, qui vti regni proceres viríque prudentes humanis ac diuinis legibus maturè perſpectis faciendum eſſe cenſerent, aliquid facere conſueuiſſent, rem totam ad maius frequentiúſque concilium detulit: ad quod cùm Reguli ferme omnes, & ſacrati viri ſacerdotijs inſignes conueniſſent, adeò eius oratione omnes qui verba, habitum, oris effigiem, & cuncta denique in illa admirabantur, ſunt commoti, vt Carolus, qui Fortunæ ornamentis deſtitutus amiſſi regni ſpeculaturus euentus ad Delphinates ſe recipere cogitabat, vt inde conducta mercenaria militum manu bellum repararet, nulla interpoſita dubitatione, non modò bellum con-

ſtantiſſimè ſuſtinendum, verumetiam hoſtes (viragine duce) audaciore conſilio illatis armis præoccupandos eſſe decreuerit: cùm vigere in illius animo non tantum virileis, ſed humana virtute auguſtiores ſpiritus apertè conſpiceret. Maximè verò Regem & proceres omnes in ſui admirationem adduxit, quod & quo die pugnatum eſſet ad Roboretum diui Dionyſij Baudricurtium admonuiſſet, & quòd neſcio quid arcani Regi ipſi, præſente eo qui à confeſſione ipſum expiare erat ſolitus, detexiſſet. Inter cętera tamen vel præcipuè illud mirabile fuit, quòd offerentē Regē inſignē enſem obteſtata ſit, vt enſem quēdam quē ad vicū Turonenſis agri diuæ Catharinę fano nobilem aſſeruari diuinitus præsēſerat, ſibi iuberet ad-

ferri: qui illic inuẽtus eſt à multo vetuſtatis ſitu rubiginoſus, & ex vtraque parte (vt ipſa prædixerat) lilijs diſtinctus. Ea deinde, primùm Pictauium ad concilium, quod vulgò Parlamentum appellant, vt eius quoque auctoritate quæ diceret, comprobarentur, ac demum Bleſas, vt illic pecunia armis auxilijſque inſtrueretur, eſt deducta. Mirum verò eſt quod iſtius loci incolæ affirmant, pyrum arborem ſub qua illa ſedebat, cùm vt Regem adiret primò cœleſti voce monita eſt, neque cariem, neque vetuſtatem ſentire, neque fulmine tangi, neque pluuia, grandine, aut niue intingi. Cognito (vt ad incœptum redeamus) in vrbe Bedfordienſis reſponſo, tantus luctus excepit, vt vrbs ab hoſtibus capta eodem veſtigio videre-

tur. Aurelij tamen ſpe omni pacis depoſita,nihilo ſegnius ad defenſionem vrbis omnia apparare cœperunt : tantáque omnium conſenſio fuit libertatis vindicandæ,& priſtinæ belli laudis recuperandæ , vt quanquam tot tantíſque incommodis conflictarentur, omnes tamen & animo & opibus ad propulſandum bellum incumberent. Eſt interim animaduerſum ab Anglis ex crebris Aureliorum eruptionibus magno ſibi eſſe præſidio poſſe , ſi pro caſtello ac receptaculo propugnaculum ad campum Turpini (is locus aberat à Pariſinâ portâ ad teli iactum)feciſſent: quod primò ad repentinos incurſus humile paruúmque fecerunt , huc ſe referebant : hinc ſi qua maior oppreſſerat vis , propugnabant:hinc ad repellendum

& proſequendum hoſtem procurrebant: ad eum locum delati Aurelij impetum in Anglos fecerunt, atque ex munitione deiectos terga vertere coëgerunt. Hoc tumultu nuntiato Anglorum duces cohortes ſubſidio ſuis laborantibus ſummittunt: quæ ex munitionibus fugientes conſpicatæ, neque illos ſuo aduentu confirmare potuerunt, neque ipſæ Aureliorum impetum tulerunt. Itaque quodcúmque addebatur ſubſidio, id corruptum timore fugientium terrorem & periculum augebat: iamque Aurelij magna cæde Anglorum caſtris appropinquabant, non mediocri terrore illata omnibus. In tam fœda ſuorum fuga Angli arma capiunt, atque ad ferendam opem ſeptem ſignis eruperunt: acriter ibi pugnatum eſt. Ad ex-

tremum multis & illatis & acceptis vulneribus Aurelij in vrbem compulſi ſunt. In eo prælio Nothi Aurelij virtus egregia extitit. Huius freti virtute crebras Aurelij eruptiones faciebant: neque ſibi quicquam eo duce arduum aut factu difficile exiſtimabant. Itaque haud facilè diſcerneres vtrùm ciuibus an præſidiarijs charior eſſet: neque ciues alium quenquam præficere malle, vbi quid fortiter ac ſtrenuè agendum eſſet: neque milites alio duce plùs confidere aut audere: plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda: plurimum conſilij inter ipſa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat: cibi potionîſque deſiderio naturali, nō voluptate modus finitus: vigiliarum ſomnîque nec die nec nocte diſ-

criminata tempori : id quod agẽdis rebus ſupereſſet, quieti datum. Equitum peditúmque idem longè primus erat, princeps prælium inibat, vltimus conſerto prælio excedebat. Harum tantarum virtutum gloria, etiam apud hoſtes illuſtris erat, vt quanquam eum Anglorum duces, quòd omnibus bellis accerrimus eorum hoſtis extitiſſet, publicè oderant, atque vt erant potiundæ vrbis auidi, plurimùm militari illius gloriæ inuidebant, aliquando tamen ad eum Sufforcius Comes, Talbotus & Deſcallæus gratiſſimarum rerum munera officiosè humaniſſiméque miſerunt, petentes vt pelleis ad veſtis fulturam ab vrbe ſibi mitti curraret. Nuntius ab eo liberaliter acceptus, atque in caſtra cum pellibus cúmque muneribus re-

miſſus, inſigne liberalitatis Aurelij documentum reportauit. Accidit etiam repentinum incommodum triduo, quo hæc geſta ſunt: tanta enim tempeſtas cooritur, vt nunquam illis locis maiores aquas fuiſſe conſtaret: tum autem ex omnibus montibus nix profluxit, ac ripas fluminis ſuperauit, adeò vt propugnacula ambo, quæ Angli fecerant, vno die interruperit. Quæ res & magnas difficultates Anglorum exercitui, & vrbi ipſi attulit: caſtra enim hoſtium ſibi iam auxilio eſſe non poterant, quòd Ligeris tranſiri non poterat, neceſſarióq; omnes his anguſtijs continebantur: neq; ciuitates quæ trãs Ligerim in Caroli Regis amicitia permanſerant, frumentum ſupportare, neque comitatus qui Biturigibus & Bleſis veniebant,

in vrbem peruenire poterant. Eæ permanſerunt aquæ dies complures. Conati ſunt Angli reficere propugnacula, ſed nec magnitudo fluminis permittebat, neque Aureliorum eruptiones perfici patiebantur: quod illis prohibere erat facilè, cùm ipſius fluminis natura atque aquæ magnitudine, tum quòd ex omnibus vrbis locis eò tormenta dirigebantur: atque erat difficile eodem tempore rapidiſſimo flumine opera perficere, & tela vitare. Eodem tempore ingentis tormenti (quod ad Poternam querculi conſtitutum diximus) terribili violentia, Turricularum muri pars proſciſſa ac labefactata eſt. Ineunte menſe Martio, cùm Angli foſſam à propugnaculo crucis Buxeæ ad fanum Leproſi perducerent, vt tutò ab re-

pentino Aureliorum incurſu, & ab omni miſſilium iniuria etiam ſinguli commeare, & tormenta conuehere poſſent, ex vrbe expeditæ cohortes, atque equitum turmæ in opus molientes emiſſæ, acriter in hoſtes ſigno dato impetum fecerunt: pugnatum vtrinque eſt fortiſſimè atque acerrimè: ſed Aureliorum vim Angli ſuſtinere non potuerunt, omnéſque circunuenti in conſpectu exercitus aut capiuntur, aut interficiuntur. Eo prælio Ioannes Lotharingus duabus colubrinæ pilis quinque Anglos interfecit, inter quos fuit Græus Ienuillæ præfectus, Regiæ nobilitatis iuuenis, Sarisberienſis comitis nepos, inter Anglos duces facilè princeps. Sequenti die Aurelij fortuna vtendum rati, quæ cùm benigna ſemel arriſe-

rit, audentes ſecundo paſſu ſubſequitur, vrbe copias educunt, ac penè priuſquàm ab hoſte ſentirentur, ad propugnaculum crucis Buxeæ delati, locum aggrediuntur: contenditur prælio, atque Angli à noſtris repelluntur, ſéque in caſtra Laurentiana recipere coguntur. Anglorum duces perterritis ſuis cohorteis nouas ſubſidio ducunt, hoſtem inſolentem atque acriter ſuos inſequentem rurſus terga vertere, ſéque ad munitiones captas recipere cogũt. Ibi pugna admodum cruenta, magnis vtrinque clamoribus collato pede, ac dubio ſæpe euentu commiſſa eſt: Aurelij enim vt partum virtute locum tuerentur, acriter repugnare, modò vrgentibus cedere, modò collectis viribus redintegratóque impetu incumbentes pro-

pellere : Angli pudore ſimul ac dolore incitati, quòd & locum vbi tendebant, & publicum apparatum priuatámque ſupellectilem amiſiſſent, vrgere premere: denique omnia tentare. Augebantur illis copiæ, atque ex caſtris cohortes crebrò ſummittebantur, vt integri defeſſis ſuccederent. Hoc idem Nothus Aurelius facere cogebatur, vt ſummiſſis in eundem locum cohortibus defeſſos reciperet. Hoc cùm eſſet modo pugnatum aliquot horas, noſtríque grauiùs à multitudine premerentur, conſumptis omnibus telis in oppidum compulſi ſunt. Sed hæc eius diei præfertur opinio, vt ſe vtrique ſuperiores diſceſſiſſe exiſtimarent: Aurelij, quòd cùm eſſe omnium iudicio inferiores viderentur, cominus tamen diu ſtetiſſent, &

Anglorum impetum ſuſtinuiſſent, & initiò munitiones cepiſſent, quæ cauſſa pugnandi fuerat, & hoſtes primo congreſſu terga vertere coëgiſſent. Poſtremò quòd multo bellico hoſtium apparatu, plurimáque veſte ſerica, nobiliſſimis ſcythicarum martarum pellibus ſuffulta, armorum tormentorúmque copia, atque imprimis ingenti aëneo potiti eſſent. Angli verò quòd locum, licet ſummiſſis ſubinde nouis ex vrbe cohortibus, recuperaſſent, terga vertere aduerſarios coëgiſſent, atque in oppidum compuliſſent. Angli deinde eum locum pro quo pugnatum eſt, magnis operibus munierunt, præſidiúmque maius ibi poſuerunt. Intereà etiam vites vrbi proximæ, materiam quotidiani certaminis præbebant,

cùm non palos modò diriperent Angli, quibus & ſe calefacerent, & in conſtruendis aggeribus vterentur: ſed & conſita vaſtarent, & agricolas depoſitis armis vineas colentes, ſubitò adorirentur, & priùs opprimerent quàm confugere in oppidum poſſent. Iam Angli vbi tantos ſuos labores, & apparatus malè hactenus cecidiſſe viderunt, & vera vi atque oppugnatione parum proficere, obſeſſos fame ac inopia rerum expugnare contendebant: quibus de cauſſis quotidie pluribus in locis equeſtri ac pedeſtri prælio certabatur, nouæque in dies ab vtríſque inſidiarum rationes reperiebantur. Paucorúmque dierum ſpatio nonnulli equites Aurelij, mercatores aliquot cum nobili muliere magnam commeatus copiam in ca-

ſtra hoſtium vehentes intercepe-runt: ex aduerſo Angli ad diuum Euurtium matutina excurſione ex caſtris progreſſi, inopinantes pabulatores, & ſine vllo diſſipatos timore aggreſſi, quàm magnum numerum iumentorum atque hominum intercipiunt, atque in caſtra cum magna præda reuertuntur. Duæ ſub hæc res magno timore ciuitatem affecerunt: vna, quòd Gergeo atque ex Belſia in caſtra vndique ſupplementum copię mitterentur: altero, quòd πτωχοτροφεῖον contiguum muro vrbis & portæ Pariſinæ, perforatum tenui perrupto muro, quà ſinguli cataphracti ingredi poſſent, repertum ſit. Nec qui id admiſiſſet ſciri potuit: πτωχοτρόφεὺς tamen ſibi veritus, plebis impetũ non expectauit, ſed fuga ſalutem peperit. Ijs rebus permoti

præſidiarij

præſidiarij nulla abeundi facultate ſibi permiſſa ſigillatim ab vrbe diſcedebant: quamobrem Nothus Aurelius magnitudine pœnæ reliquos deterrere cupiẽs, duos equites qui ſub Galloio Villierio merebant, tãquam deſertores retractos, crimẽnque faſſos, maieſtatis damnauit, atque in crucem ſubegit. Quinto idus Martias Angli aduocatâ calonum, operarúmque ingenti multitudine ad diuum Lupum progreſſi, quo Aurelios ab ea parte commeatibus prohiberent, magna excitarunt eduxerúntque celeritate firmiſſimi munimenti propugnaculum. Aurelij duces terrendi cauſſa atque operis impediendi copias producunt, atque hoſtes prælio laceſſunt Neq; idcirco calones opus intermittunt, confiſi præſidio le-

gionum Anglicarum: illi non diu commorati ne ab hoſtium multitudine circunuenirentur, copias in vrbem reducunt. Obijt per eos dies Alanus Beiæus Aureliani tribunalis ſummus præfectus, vir fidei & virtutis perſpectæ, nec minùs de ſalute vrbis, quàm dicẽdo iure ſolicitus. Nec interea Angli ab tormentis maioribus idoneis in locis conſtitutis, vllo diei noctíſve tempore ceſſabant: quibus adhiberi remedium ne vrbi nocerent, non poterat: ea enim erant eiuſmodi vt pilas lapideas inſignis craſſitudinis in ſublime ad faſtigij ſpeciem magno cœli tractu propellerent: eæ intra vrbem ex alto cadentes domorum tecta contignationéſque perforabant, latéque vaſtabant cum eorum, qui ſuberant interitu. & quanquam ſæpiùs ac-

cidebat, vt in vias & aperta ædium eæ pilæ, quàm in tecta cœtúſque hominum deciderent, pleríque tamen vel in medijs vicis interficiebantur. Nam & ſabbati, qui fuit decimus quartus Calen. Aprilis, ſeptem vna pila interfecti fuerunt, atque in his Ioannes Tonnæus ciuis ſtrenuus, cuius forti opera Aurelij vſi fuerant: alia quoque in vrbis parte è regione ædium Bertaldi Mignoni quinque fracti lapidis fragmentis interempti. Iam ſeſe aperuerat annus, & vere nouo vtrinque milites ſegnitiem torpida hyeme conceptam ita corporibus & animis diſcutiebãt, vt minutis prælijs quotidie certaretur. Dabant autem operam aſſiduè oppugnando acriter Angli, & ex omni parte munitionibus erectis, ne alicunde commeatus

importaretur. Erat haud longè ab vrbe tumulus paulò editior (areæ frumentariæ Cuniereti loco nomen erat) quem ſi communiſſent Angli, multo commeatu ſe intercluſuros aduerſarios cõfidebant. Hoc ſperantes Anglorum duces cohortes aliquot ex caſtris educunt, atque occupare eum tumulum & munire iubent. Qua re cognita, celeriter ex vrbe cohortes ad opus impediendum mittuntur. Hic paulisper eſt pugnatum, cùm irrumpere noſtri conarentur, illi incœptum opus defenderent fortiſſimè: ſed tandem Angli repelluntur, ſeque ad caſtra recipere coguntur: qui paulò pòſt ad furorem reuoluti, ac ſuæ ignauiæ pertæſi cum robore præſidij rurſus in eandem munitionem redeunt. Noſtri veriti ne intercluderentur, eodem

quo venerant, receptui conſulebant: omniáque erant tumultus, timoris ac fugæ plena: adeo vt cùm Nothus Aurelius ſigna fugientium manu præhenderet, & conſiſtere iuberet, alij dimiſſis equis eundem curſum coniicerent, alij ex metu etiam ſigna dimitterent: neque quiſquam omnino conſiſteret. His tantis malis hoc ſubſidium ſuccurrit quo minus omnes delerentur, quòd muro atque propugnaculo diui Paterni ſagittis tormentíſque emiſſis, fugientes longiùs perſequi prohibentur. Eo in prælio Riobini Heronis equitis Angli opera egregia extitit. Sequenti die hoſtes inſtructa acie ad crucem vſque Morinam progreſſi, manum cum noſtris, qui manè oppido exierant, conſeruerunt: cúmque hoſtium copiæ ſummiſ-

ſis è caſtris auxilijs crebrò augerentur, noſtróſque vires laſſitudine deficerent, Nothus Aurelius equitum copias illis ſummittit, quorum primum impetum equites hoſtium non tulerunt, ſed admiſſis equis ad ſuos refugerunt: relicti ab ij,s qui vnà procurrerant pedites, circumuenti ab noſtris, atque interfecti ſunt. Eodem die II. Calend. Aprilis, Ioanna virago Lotharingâ, quæ Bleſis aduerſus Anglos expeditionem parabat, ad eos in caſtra fœcialem (quem nos Araldum appellamus) cum literis magnis verborum ambagibus conſcriptis miſit, quarum tamen hæc erat ſumma: Videri ſibi impiè crudelitérque facere Anglos, qui per occaſionem proditi ac demortui Caroli ſexti de imperio totius Franciæ cogitandum

ſibi exiſtimarent. Propterea ſe prope diem cum exiercitu vindicandis iniurijs, quas Franciæ intuliſſent vēturam, proceſſurámque infeſto exercitu : ac ſi quis contra reſiſteret,prælio decertaturam , ſecundiſſimis Dei opt. max.auſpicijs,qui pro iuſta cauſa ſtare conſueſſet.Neque enim defuturum Deum , ſicuti antea aduerſus violatores fidei, & humani iuris & religionis contemptores , nunquam ex merito defuiſſet.Quare eos rectiùs facturos,ſi Francia ſtatim excederent, & dimiſſio exercitu in Angliam reuerterentur. Quòd ſi hanc conditionem repudiarent , ſuperbáque & exitiali contumacia, furto quodam arreptum regnũ , quod Francorum Regum proles vetere inſtituto , iure tantùm atque ordine , nullo ambitu, nulla vi

adipiſci conſueuit, retinere conarentur, ſe tam inſignem contumeliam non laturam, nec quieturam vnquam donec impotenti Anglorum libidine amiſſam Caroli ſeptimi dignitatem, tãquam abdicati ſpretíque, cum omnium rerum conturbatione, armis recuperet. His acceptis literis Anglorum duces valdè indignati fœcialem contra ius gentium retinent, atque in catenas conijciunt. Illis ipſis diebus fama incertis authoribus emiſſa magno timore vrbem affecit: ex præſidiarijs nonnullos cum hoſtibus conſenſiſſe, oppidíque portam eis tradere velle: ea re ſubitis auribus accepta, & ad ſuſpicaces animos tranſmiſſa, præfecti ſumma diligentia diſpoſitis vbíque præſidijs, aliquot dies in armis egerunt, omnes vrbis regiones

ſingulis penè horis obequitantes. Sexto Calend. Aprileis (qui fuit dies Reſurrectioni Chriſti ſacer), inter Anglos atque Aurelios paucorum dierum factæ ſunt induciæ: quibus finitis Aurelij quod anteà facere nequiuiſſent iam perficere poſſe rati, expugnandæ inuadendæque munitionis, (quam diximus ad aream frumentariam Cunierti fuiſſe erectam) conſilium ſuſceperunt. Commiſſo ab equitibus prælio ſigna cohortium procul ab Aurelijs conſpiciuntur, quas Anglorum duces ſuis miſerant: quarum aduentu prælium dirimitur, ac ſuos vtrinque duces milites reducunt. Poſtero die Aurelij cùm rurſus in eandem munitionem concurriſſent, fit prælium acri certamine: namque Angli contemptis pridie ac ferè ſupe-

ratis Aurelijs, & pudore cedendi, & cupiditate victoriæ fortiſſimè contra Aurelios præliantur. Cùm aliquot horas ſumma contentione dimicatum eſſet, Angli è caſtris Laurentianis maxima manu ſuis ſubſidio ſuperueniunt, inopinanteíſq; antemiſſis equitibus aggrediuntur. Aurelij dum pari certamine res geri potuit, magnum hoſtium numerum pauci ſuſtinuere: ſed vbi ſigna legionum appropinquare cœperunt, paucis amiſſis ſeſe in vrbem iam recipiebant, cùm Nothus Aurelius, Granillus, Hira, Poto, & Tilloius, ſuos fugere & concidi cernẽtes, cum equitatu & nouis cohortibus eruperunt. Sed priuſquam telum abijci poſſet, aut noſtri propiùs accederent, omnis Anglorum acies terga vertit, ſéque in munitiones rece-

pit. Nec multò pòſt Aurelij nauigium ad fanum Lupi prouectum (quò vinum & frumentum Anglis importabatur) intercipiunt. Præfectus quoque Magduni vrbe egreſſus, ab aliquot Aurelijs equitibus, qui eò excurrerāt, ingenti inde abducta præda interfectus eſt. Accidit illis temporibus, quod dignum memoria viſum, prætermittendum non exiſtimauimus, vt pueri armigeri Aureliorum equitum, grauioris pugnæ ſpeciem cum æqualibus ſibi Anglorum pueris magna cum voluptate ducum vtriúſque partis (qui ſpectatores aderant) medio inter caſtra vrbémque ſpatio præberent. Arma fuere ſingulis lapides, neque aliud tegumentum præter vnum in ſiniſtris ex viminibus (quo pro ſcuto vtebantur) caniſtrum. Cúmque

quodam die pugna ſolito tumultuoſior, creſcentibus vtrinq; auxilijs, eſſet accenſa, eóq; res contentionis ardore proceſſiſſet, vt neutra pars ſeſe inde explicare atq; recipere ſine magno incommodo ſingularíq; infamia poſſe videretur, multis vulneratis, vno ex Anglis ictu lapidis interfecto, nox prælium diremit. Tædet me eius belli leuiora conſectari: quis enim legat ſine faſtidio ſingula, præſertim ſi ad rerum exitus (vt plerúmque fit) tantummodo properet? ſed mihi facilè veniam omnes homines daturos puto, cùm ſcierint illud me aſſequi hoc ſcribendi labore vel cum primis cupere, ne cui videar Aureliorum geſta, quæ nihil habẽt dignitatis, diſſimulaſſe. Cæterùm cùm minùs ex animi ſententiâ obſidionem procedere, rémque diu-

tius ſpe trahi viderent Angli, & abſiſtere incœpto turpe ducerent, atque ſi pertinaciùs obſiderentur Aurelij, tantas eos diuturni belli atque inediæ acerbitates minimè eſſe toleraturos exiſtimarent, itinera aditúſque omnes, quibus in vrbem inferri commeatus poſſet, perpetuis cuſtodijs intercluſerunt. Sed is terror nequaquam fuit tantus, vt ſpem lucri minueret in mercatoribus, qui non minùs frequenter quàm anteà in vrbem commeabant: vſque adeò fœliciter vitatis aut deceptis Anglis, vt paucis diebus ſuprà centum porci à Berria: maioris verò ab Normania pecoris ingens copia in vrbem perducta ſit. A Caſtroduno etiam lactis & butyri omníſque generis commeatus magna vis aduecta. Quibus rerum ſubue-

ctionibus, obſeſſi veluti oblato recenti obſonio, mirum in modum lætabantur, cùm frumentum etiam eis abundè ſuppeteret, vnde famem vel in multos menſes minimè timendam proſpicerent. Quódque ingentis lætitiæ cauſa fuit, Angli, qui ad perſoluenda militi ſtipendia pecuniam in caſtra adferebant, ab his qui Caſtroduni præſidio erant, pecunia reliquíſque rebus exuti ſunt. His tot offenſi contumelijs Angli, calonum ingenti multitudine & pleríſque omnium ordinum militibus ſubmiſſis, duo munitiſſimi operis propugnacula, vnum ad torcular Ars (id loco nomen erat) alterum inter Lazari & Paterni fana erexerunt, rati ſe ſubuectionibus obuiam ituros, ſi eis locis permunitis, perpetuæ cuſtodiæ ſtationem im-

ponerent. Quibus perfectis Aurelij iam minùs liberè, minùs audacter vagabantur: aliàs non longo ab vrbe progreſſi ſpatio, vt celerem receptum haberent anguſtiùs pabulabantur: aliàs longiore circuitu cuſtodias ſtationéſque hoſtium vitabant: aut aliquo accepto detrimento, aut procul equitatu viſo ex medio itinere, proiectis ſarcinis fugiebant. Eo tempore cùm ad Marcelli fanum ſtatio Anglorum indiligenter verſaretur, eò aliquot equites Aurelij noctu profecti, atque illos aggreſſi cùm duos ex ijs temerè progreſſos interfeciſſent Angli, reliqui tam acriter in illos impetum fecerunt, vt omnibus aut interfectis, aut captis ſe Aureliam cum præda victores receperint. Haud longo interpoſito ſpatio cùm diuturnitas

oppugnationis negligentiores Anglos feciſſet, conuocatis militibus Nothus Aurelius oſtendit, videndum eſſe ne fortiùs defendiſſe vrbem, quàm dimicaſſe viderentur: nec expectandum vt ab hoſte vndique circunuenirentur, ſed cum nox occaſionem daret, ſecuris ſuperueniendum: nuſquam eos honeſtiùs, quàm in caſtris hoſtium perituros. Perſuaſi milites ac nacti occaſionem nocturni temporis, ſtatim arma capiunt, & ſexcenti viri in caſtra multorum millium proficiſcuntur: hoſtibus ſomno captis de improuiſo ſuperueniunt. Nothus Aurelius tibicines ſimul omnes tuba canere, militéſque clamorem tollere atque irrumpere iubet. Angli ignoto & horribili ſonitu repentè exciti, neque fugegere, neque arma capere, neque

omnino facere, aut prouidere quicquam poterant: ita cunctos ſtrepitu, clamore, noſtris inſtantibus, tumultu, terrore, formidine quaſi vecordia cœperat. Aurelij per omnia caſtra vagari, cædere, ſternere omnia. Prælium ab hora ſecunda matutina in maiorem partem diei tractum: ad poſtremum arma & ſigna militaria pleráque capta, pluréſque eo prælio quàm omnibus ſuperioribus interempti. Neque tamen Franci lætam aut incruentam victoriam eam adepti ſunt: nam ſtrenuiſſimus quiſque occiderat in prẹlio, aut grauiter vulneratus diſceſſerat: atque Aurelij alij amicum, pars hoſpitem, pars patrem aut fratrem interemptum lugebant: ita variè per vrbem lætitia, mœror, luctus, atque gaudium agitabantur. In eo prælio tanta

virtus ſingulorum fuit, vt cuius laus prima eſſet difficile iudicium videretur: inter cæteros tamen Nothi Aurelij gloriâ emicuit. Ab eo nocturnæ trepidationis periculò, ſinguli hoſtium duces nequaquam apertis in locis, ſed nouis munitionibus circundu ctis, ſe aduerſus nocturnos diurnóſque impetus diligentiſſimè conſepſerunt: ſic vt in poſterum audaciſſimæ gentis vim atque ſolertiam minimè contemnendam declararent. Obſideri demum Aurelia arctiùs cœpta, eruptionéſque aliquanto attentiùs quàm anteà factum fuerat, vi artéque prohibitæ. Atque vt vndique erumpendi vrbanis facultatem adimerent, & aliundè comportari in vrbem commeatus vigilijs ſtationibúſque diſpoſitis prohiberent, vicum diui Ioannis

(cui ab albore nomen eſt) incredibili celeritate munierunt. Neq; tamen propterea equites (quorũ erat cùm magnus in vrbe numerus, tum virtus atque induſtria ſingularis) improuiſis incurſionibus die & nocte vllam hoſtibus quietem relinquebant: quotidiéque cum pręda, cúmque captiuis in oppidum reuertebantur. Nuntiatur Notho Aurelio magnos comitatus Anglorum, qui ad caſtra commeatum aduexerant, ad Floreum vicum, cui à Braſſicis nomen eſt, conſtitiſſe: ad hos opprimendos cum equitatu ac cohortibus aliquot Amadiæus magna animi oſtentatione vir, magna ſui confidentia, de nocte mittitur, imprudentéſque antemiſſis equitibus aggreditur: celeriter tamen ſeſe Angli expediunt, præliúmque committunt:

ſed vbi ſigna cohortium appropinquare cæperunt, multis interfectis, captis aut vulneratis compluribus, reliqui ſeſe fugæ mandarunt. Quod incommodum Angli haud multis pòſt diebus eodem in pago ſarcierunt: nam cùm intellexiſſent mercatores Francos Bleſis magnam commeatus copiam in vrbem aduehere, Floreum quà illos tranſituros exiſtimabant, celeriter cõtenderunt. Alia ex parte Aurelij veriti, ne hoſtes intellecta re in itinere illos aggrederentur, obuiam illis proficiſcebantur. Sed cùm iam appropinquarent, ac propè in manibus hoſtiũ eſſent, certiores facti ab hoſtibus interceptum commeatum mercatores partim captos, partim interfectos, è veſtigio (vt neceſſe erat) pleniore paſſu Aureliam regreſ-

ſit, & de periculo ſuo & de mercatorum cæde nuntium pertulerunt. Plurima eo tempore in vrbem auxillia conuenerunt: nam & Burgius Maſcaranus homo & gentis nobilitate, & rei militaris ſcientia clarus, cum turma equitum, & Alanus Gironus homo impiger egregiáque virtute, ſecum adducens equites centum, à Caſtroduno equites quater centum; quibus præerant Florentius Dilierius, vir nobilis & multis militiæ geſtis clarus, & frater Hiræ ſummæ audaciæ vir, vno penè tempore venerunt: quorum aduentu & Aurelijs cum ſpe defenſionis ſtudium propugnandi acceſſit, & hoſtibus eadem de cauſa ſpes potiundi oppidi diſceſſit. His aucti copijs Aurelij cùm Anglorũ phalanges ad propugnacula vr-

bis progreſſas, paratáſque ad pugnam excipiendam conſpicerent, eruptione facta in eos inuehuntur, extemplóque facto vehementi impetu, eos maxima vi cædere, fundere atque fugare: ſed coëuntibus ad vexilla vndique Anglis, & ſclopettis egregiè rem gerentibus cùm multi caderent, & longè promptiſſimi, qui intrepidè pugnam capeſſerent vulnerarentur, in vrbem ſe receperunt.

AVRELIÆ VRBIS ANGLICANA obſidio.

LIBER QVARTVS.

SVMMARIVM LIBRI.

VIrago Lotharinga Bleſis mouens, Aureliam procedit cum ingenti exercitu. Nothus Aurelius ad introducendum commeatum & properantes copias ſiſtit omnem equitatum ad fanum Lupi. Virago intra mœnia excipitur triumphali pompâ & lætitiâ incredibili. Hira, Florentius Dilierius, aliïque fortiſſimi Duces, eru-

ptione facta, caſtra Anglica vi ſumma oppugnant ad fanum Paterni, vbi edita ingens hominum ſtrages. Inde Anglorum probroſæ voces in Ioannam, vt Bubulcam, impudicam, veneficam. Angli fœcialem, ſanctum apud omnes nationes inuiolatúmque nomen retentum in vincula conijciunt: quem nihilominus poſtea metu coacti remittunt. Ioannnæ colloquium cum Glacida cæteriſque Anglis ducibus, de certa conditione pacis. Nothus Aurelius legationem ſuſcipit ad Claromontanum, qui Bleſis, erat de rebus belli cum eo acturus. Ioanna obſeruat hoſtiles munitiones & ſitu- ..ſtrorum. Die ſequenti comitata quingentis equitibus progreditur obuiam Notho Aurelio redeunti. Ioannæ auſpicijs omnia Anglorum propugnacula capiuntur, munitiones omnes expugnantur:

tur : Ipſi Angli pluribus fuſi prælijs, partim cæduntur ad internecionem, partim aguntur in fugam præcipites. Egregia cohortatio Viraginis. Ioanna ſagittæ vulnere percuſſa recuſat prælio abſcedere. Nothi Aurelij prudens admonitio : & ad eam dignum viragine reſponſum. Vltimo prælio commiſſo ad Turriculas periere ex Anglico exercitu, circiter quingenti cum Glacida plurimiſque alijs ducibus. Per ſummum pugnæ æſtum duo iuuenes in aëre conſpecti dimicantes & ingens per cœlum ſtrepitus. Supplicatio decreta in vrbe de victoria. Ioanna creditur vulgo diuina mente inſpirata. Præceps Anglorum fuga. Fugientium maxima cædes. Burgius Barra hoſti ereptus ope cuiuſdam Monachi Auguſtinenſis. Redit Ioanna victrix in vrbem omni cum exercitu. Solemnes fe-

ſtum decernitur cum annua ſupplicatione in memoriam tantæ victoriæ. Gratiæ aguntur viragini. Laudantur Duces. Variæ ſententiæ de ineundo ſacro Chriſmate Regum vngendorum. Ioannæ plena Maieſtatis oratio ad Regem. Gergeum captum direptúmque miſerabilem in modum. Alexander Suffortij frater interficitur. Ipſe Suffortius comes capitur & mox cum pleriſque alijs captiuis Aureliam transfertur. Magdunum captum. Baugenſiacum obſeſſum. Rex venit Sulliacum vbi deliberat cum Ioanna cæteriſque ducibus de bellicis negotijs, de neceſſarijs auxilijs, de adeundo Rhemos, poſtremo de Arthuro reſtituendo in gratiam.

DVM hæc Aureliæ ſic adminiſtrantur, virago Lotharinga quæ Bleſis

erat, milites eligere, ſcribere, præſidia vndique accerſere: arma, tela, equos, & cætera inſtrumenta militiæ parare: ad hæc commeatum affatim, denique omnia quæ in bello vſui eſſe ſolent: omnibúſque ex ſententia paratis ac conſtitutis ad 3. Calend. Maias Bleſis mouit, inſtructo agmine procedens, itineri ſimul ac prælio intenta. Qua re in vrbem perlata, præſidiarij milites plébſq; omnis imprimis magna voluptate affecta, ad propugnandum ſummo ſe ſtudio confirmant. Igitur poſtero die Nothus Aurelius equitatum omnem ad fanum Lupi progredi iuſſit, vt (quod erat illac tranſeundum) hoſteis alijs in rebus moraretur, dum commeatus quem virago ad Cheſſiacum vſque pagum adduxerat, introdu-

ceretur. Recepto commeatu, illa (cui obuiam proceſſerat Nothus Aurelius cum pleríſque equitibus) inſtructa acie ſub octauam vrbem ingreditur, nullo ex Anglico exercitu quantumuis magno contra tendere, vel in occurſum ire, immò ne ſe commouere quidem viſo. Excipitur triumphali pompa, incredibili omnium lętitia: ipſa phalerata, & militaribus armis (vna dempta galea) vndique protecta, albo inſigni equo prouehitur. Secundum eam præferebatur candidum vexillum lilijs diſtinctum: latus ipſius à Notho Aurelio, non cuſtodiæ, ſed honoris cauſa cingebatur: multi viri illuſtres exquiſitis armorum & equorum ornamentis inſignes, ſuccedebant. Parata erat ad eam hoſpitio excipiendam portæ Vulpinæ

coniuncta domus Iacobi Boucherij ſumptu ędificata, ad quam multa iam nocte luminibus accenſis eſt deducta. Poſtero die Hira, Florentius Dilierius, aliiſque complures acerrimi ordinum duces, ingenij & animi robore mentiſque magnitudine ſuſpiciendi, eruptione facta munitiones Anglorum ad fanum Paterni erectas ſumma vi capere intendunt: ac primò hoſtem tormentis ſagittiſque & fundis eminus terrere: deinde vbi propiùs ventum eſt, inſtare, fundere, ſuper occiſorum vadere corpora, murum aſcendere. Protractum eſt certamen in multas horas adeò varium, atrox, & cruentum, vt capi munitiones potuiſſe conſtaret, ſi, vt erat ab Hira imperatum, coniectis facibus ædificia Anglorum incenſa fuiſſent.

Ad extremum Hira, Anglis acerrimè propugnantibus, cùm ſuos vulnerari, hoſtes non defatigari, minuùs denique rem procedere animaduertiſſet, receptui cecinit, plurimùm queſtus qui quæ ad rei bellicæ vſum petierat, in tempore allata non fuiſſent. Deſiderati ſunt eo prælio ex vtraque parte multi, vulnarati etiam multò plures. Probroſæ interea Anglorum voces in vrbem referebantur, Ioannæ tanquam bubulcę, veneficæque mulieris ac impudicæ conatus irridentium, quibus illa irritabatur, vt in Anglos priuati odij prægrauem iram conciperet: obídque præcipuè quòd illi fœcialem (quod nomen apud omnes nationes ſanctùm inuiolatúmque ſemper fuiſſet) retinuiſſent, & in vincula conieciſſent: quod faci-

nus contra militiæ morem ſuperbe editum, non negligendum videbatur. Itaq; fœcialem alium ad eos miſit, qui denuntiaret niſi extemplò eum redderent, ſeſe captiuos omnes Anglos qui in vrbe eſſent, interfecturam: qui ea denunciatione commoti, eum continuò cum magna verborum contumelia in vrbem remittunt. Eodem die qui fuit pridie Calend. Maij, ſub noctem Ioanna in propugnaculum Pulchræ crucis progreſſa, cum Glacida cæteríſque ducibus colloquitur: multa de illorum iniquitate conqueſta, quòd Aureliam vrbem obſiderent: Carolum Regem de Regno patrio, déque auitis ſedibus expellere conarentur. Is tandem fuit exitus ſermonis, ſe æquiſſimæ pacis conditiones illis oblaturam, ſi (vt denun-

tum eſſet) Francia excederent, exercitúmque dimitterent: ſi id ſit factum, nocituram ſe nemini: hanc vnam atque extremam eſſe pacis conditionem. Quòd ſi aliena occupando, Franciæ imperium animo volutarent, & propterea antiquæ ſpei inſiſtendum, commorandúmque in Francia ſibi eſſe cenſerent, ſe cunctis opibus annixuram, vt omne Anglicum nomen Franciæ finibus pelleretur. Magnos iam eſſe animos in Francis: magnas militum & equitum copias: deos denique immortaleis inuicto populo Franco, clariſſimo regno, pulcherrimæ vrbi contra tantam vim ſceleris præſentis auxilium eſſe laturos. Angli ad hæc Ioannæ maledicere: vecordiam obiectare: crucem minitari: integris adhuc ſuis rebus feroces eſſe.

Quia autem Aurelij à Claromontano qui Bleſis erat, admonebantur vt aliquem ex ducibus ad ſe mitterent, vt quæ opus eſſent diligentiùs inter ipſos tractarentur, Nothus Aurelius eſt ab ijs ad id muneris lectus, qui legatione ſuſcepta Calēdis Marij viæ ſe dedit. Atque eo ipſo die Ioanna vt populo, qui miro eius deſiderio tenebatur, ſui videndi poteſtatem faceret, magno comitatu illuſtrium virorum, per vrbem ambulauit. Tantus autem ad famam deambulantis ipſius, populi concurſus confluxerat, vt nonnulli penè eliſi exanimatíque fuerint: opificies agreſtéſque omnes (quorum res in manibus ſitæ erant) relictis operibus adcurrebant, & ſua neceſſaria poſt illius honorem ducebant. In qua illud in primis oc-

currebat mirum, quòd ita ſcitè equitaret, galeam, ſcutum, loricam geſtaret, quaſi nihil aliud in vita egiſſet. Poſtridie eius diei ipſa vrbem egreditur, vt & munitiones hoſtium, & ſitum caſtrorum cognoſceret: quibus perluſtratis, præconibus circunmiſſis, pronuntiari iubet, ſeu qui Anglus, ſeu qui Gallus velit, abire ſine periculo licere: poſt id tempus non fore poteſtatem. Quarto nonas Maij cùm Nothus Aurelius magno cum commeatu Bleſis Aureliam rediret, Ioanna ex militibus quos exiſtimabat probatiores acie quingentorum confecta, ne ab hoſtibus ille cladem aliquam acciperet, obuiam ei progreditur, atque ita nullo accepto incommodo, hilariter in vrbem eſt receptus. Porrò Ioanna quæ nihil ad

conſilia capienda dandum ſpatij hoſtibus exiſtimabat, conſilio cum ducibus communicato, incredibili celeritate multis rebus confectis, eodem die cupientibus omnibus, ad hoſtium munitiones ad fanum Lupi contendit: alij foſſas complere, alij telis coniectis defenſores vallo munitionibúſque depellere, calones lapidibus telíſque ſubminiſtrandis, & ad aggerem ceſpitibus comportandis, ſpeciem atque opinionem pugnantium præbere: hoſtes ſubeuntium impetum egregiè ſuſtinere: tela ex loco ſuperiore miſſa non fruſtrà accidere: optimus quiſque cadere, aut ſauciari: cæteris metus augeri. Quod cùm videret Ioanna, circuitis munitionibus milites hortatur, ne ſui inperpetuum liberandi, aut vlciſcendi pro his quas

acceperint iniurijs occaſionem dimittant, memineríntque ſe contra latrones pro patria, pro liberis, pro aris, atque focis certare. Tum verò noſtri redintegratis viribus (quod plerúmq; in ſpe victoriæ accidere conſueuit) acriùs impugnare cœperũt. Hoſtes vndiq; circunuenti, deſperatis omnibus rebus, ſe per munitiones deijcere, & fuga ſalutem petere intenderunt: quos equitatus cõſectatus partim cepit, partim interfecit. Ijs propè circunuentis, qui propugnaculum ad fanũ Paterni præſidio tenebãt ſubſidiò ire parabant: verùm Sanſeuerus (qui in vrbe remanſerat) eruptione facta, cùm in eos ſigna inferre nihil cunctaretur, incœpto deſtiterunt, Aurelij ciues cùm ſuſpenſo animo paulò antè reputarent quo in diſcrimine

verſarentur, qui tantam ferocium gentium multitudinem intra mœnia domeſticóſque lares accepiſſent, vt ijs, terrori eſſent in quorum auxilia venerant, ſuámque vrbem hoſtiliter à ſocijs direptum iri intromiſſo tãto exercitu prædicarent, vt viderunt eos vni tantùm vrbis defenſioni publicæque ſaluti proſpicere, diſtributos milites, per omnes domos gratuitò ſuis copijs alebant. Redacto in poteſtatem eo propugnaculo, ne feliciter cœpta Ioanna euerteret, concilio præfectorum & ciuitatis coacto, Turricularum arcem quæ ponte vrbi cõiungitur, erátque Anglis opportuniſſima, quòd ea vna rei frumentariæ adminiſtratio magnopere impediebatur, oppugnare inſtituit: facilè enim expugnari poſſe, ſi priuſ-

quam hoſtium vires coaleſcerent, eò confeſtim contenderent, & in ea fortuna, ſtudio atque alacritate militum vterentur. Itaque omnibus ad irruptionem eo die (qui fuit Aſcenſioni ſacer) comparatis, ſequenti die Ligerim amnem cum quatuor hominum millibus, inter fanum Lupi, & turrim nouam tranſgreſſa, ad vicum diui Ioannis, quem vallo & foſſa Angli munierant, rectà progrediuntur, ac priùs eò perueniunt, quàm quid ageretur Angli ſentire poſſent. Qui omnibus rebus ſubitò perterriti, neque conſilij habendi, neque arma capiendi ſpatio dato ita perturbabantur, vt munitionéſne defendere, an fuga ſalutem petere, neſcirent quid præſtaret: quorum timor, cùm fremitu & concurſu ſignificaretur,

milites noſtri in munitiones irruperũt. Quo in loco qui celeriter arma capere potuerunt, paulisper noſtris reſtiterunt, atque prælium commiſerunt: reliqui paſſim fugere cœperunt: ad quos conſectandos Ioanna equitatum miſit. Angli qui in Turriculis erant, cùm ſuos interfici viderent, repentè cohorteis porta ſub ſignis eduxerunt, vt Francorum audaciam reprimerent. Noſtri impetu in eos facto celeriter perturbarunt, compluribúſque interfectis reliquos in fugam coniecerunt, atque ita perterritos egerunt, vt non priùs fuga deſiſterent, quàm ad propugnacula veniſſent. Ioanna Anglis ex fuga intra munitiones compulſis, nullum ſpatium perterritis dare oportere exiſtimans, milites cohortata eſt, vt beneficio

Fortunæ vterentur, atque Augustini fanum (quod hoſtes munierant) oppugnarent: qui & ſi magno æſtu fatigati (nam ad horam tertiam pomeridianam erat res perducta) tamen ad omnem laborem animo parati, imperio paruerunt. Munitiones à cohortibus (quæ ibi præſidio erant relictæ) induſtriè defendebantur: nam qui acie refugerant milites & animo perteriti, & laſſitudine confecti, magis de reliqua fuga, quàm de caſtrorum defenſione cogitabant. Neque verò diutiùs qui in vallo conſtiterant multitudinem telorum ſuſtinere potuerunt, ſed confecti vulneribus locum reliquerunt, protinúſque omnes ducibus vſi centurionibus tribuníſque militum, ad propugnaculum, quod ad Turriculas pertinebat, confu-

gerunt. His ita rebus geſtis, diu deliberarunt duces;an confeſtim propugnaculum aggrederentur, an verò feſſis militibus noctis ſpatium ad reſumendas vireis darent, Ioanna amputari moras volebat,dum imparati hoſtes eſſent: interiecta nocte, & animos forſitan hoſtibus, & auxilia ex alijs caſtris acceſſura: ſed diſſentientibus cæteris, quo loco prælium commiſſum erat,commeatu ex vrbe aduecto cœnarunt, curatíſque corporibus militum, ibi pernoctarunt. Duces perpetuis vigilijs ac ſtationibus milites diſponunt: tribunos militum & centuriones circummittunt, atque hortantur non ſolùm ab eruptione caueant,ſed etiam ſingulorum hominum occultos exitus obſeruent.Neque tam remiſſo ac languido animo quiſ-

quam omnium fuit, qui ea nocte conquieuerit: tanta erat ſumma rerum expectatio, vt nullus in aliam partem mente atque animo traheretur. Prima luce Ioanna ſingulas turmas circuiens monet atque obteſtatur, vti memores priſtinæ virtutis & victoriæ, ſeſe, vrbem Aureliam, regnúmque Franciæ ab Anglorum auaritia defendant. Cùm ijs certamen fore quos tribus iam prælijs ſuperauerint: proinde parati intentíque eſſent, ſigno dato Anglos inuadere: Illum diem, aut omnes labores & victorias confirmaturum, aut maximarum ærumnarum initium fore. Angli totam noctem intenti, velut iam futurum impetum expectare, murices vndique ſpargere: miſſileis igneis in peſtem noſtrorum parare, tormenta omne ge-

nus in ipſo aditu diſponere, quibus irruenteis Francos exciperent : atque ita magnis vtrinque animis initum certamen. Aurelij tormentis, telis, lapidibus propugnantes ſummouere: magna vi murum aggredi, ſcalis conſcendere : per confragoſa muri, alij aliorum innixi humeris conniti: præſidiarij concurrere: lapides, tormenta, ignem, præterea alia tela ingerere. Nec in tanta certaminis iniquitate cùm multi ipſo molarum pondere comminutis ſcalis, laceri, exanimes, atque omnibus denique incommodis conflictati è muro præcipitarentur, quiſquam tamen in eo periculo, tot ingruentibus telis, pedem referebat. Vt verò Ioanna, dum murum incautiùs ſubit, ſagitta grauiter icta cecidit, tanta circà fuga atque trepi-

datio fuit, vt non multùm abeſſet, quin opera ac tormenta deſererentur: ſuadentibus amicis ne plagam adhuc calentem deſpiceret, ſalutíque conſuleret, prælio excedere noluit. Itaque eam adit Nothus Aurelius, hortatur recedat, & ſe ad meliora patriæ tempora reſeruet, ne funeſtam hanc pugnam morte ſua faciat. Plura patriæ quàm vitæ deberi, exercitum ad præſidium vrbis, atque adeò totius Franciæ ſeruandum. Equidem (inquiebat) mortem pro patria præclaram eſſe fateor, & me vel deuouere pro repub. Franca, vel in medios me mittere hoſteis paratus ſum. Sed hîc patriam video, hîc quicquid Francicarum eſt legionum: quæ ſi pro ſeipſis ad mortem ruere volunt, quid habent quod morte ſua ſeruent?

Produntur omnia deleto hoc exercitu, non ſeruantur. Hic omnis ſpes opéſq; Franciæ ſunt, quas ſeruando patriam ſeruamus: dedēdo ad necem, patriam deſerimus ac prodimus. Ad hæc Ioanna vultu fiduciæ pleno, quis pauor hic? quis terror? quàm repentè: & qui cum quibus pugnemus: & quo duce obliuio animos cœpit? an non venit in mentem Deum eſſe qui Francos adiuuet? Deum qui ſecundis auibus ad hoſteis Francia expellendos me miſerit? Quin potiùs iube milites animos confirmare, & rurſus ad renouandam pugnam corpora atque arma parare. Non ſuſtinebunt hoſtes impetum, & nunc cunctantur magis quàm reſiſtunt. Vrbem repetant quibus operæ eſt trahere bellum, nos omnium rerum reſpectum, præ-

terquam victoriæ nobis abſcindamus. Ita paulò pòſt ſupremo conatu redintegrata eſt pugna, vſq; adeo terribilis, vt nuſquam acriùs & periculoſiùs illo ſeculo pugnatum eſſe crederetur. Angli fortiter repugnare: neque vllum fruſtra telum ex loco ſuperiore mittere: vt quæque pars munitionis nudata defenſoribus premi videbatur, eò accurrere & auxilium ferre: ſed hoc ſuperari, quòd diuturnitate pugnæ Franci defeſſi cùm prælio excedebant, alij integris viribus ſuccedere: quarum rerum ab Anglis fieri propter paucitatem nihil poterat: ac non modò defeſſo ex pugna excedendi, ſed ne ſaucio quidem eius loci vbi conſtiterat relinquendi, ac ſui recipiendi facultas dabatur. Dum hæc ita ad Turriculas geruntur,

omnis iuuentus quæ in vrbe remanſerat, omnéſque ſuperioris ætatis cum liberis atque vxoribus, dum vident redintegrari pugnam, aut ex muro ad cœlum manus tendere, aut ad templa adire, & ante ſacras imagines proiecti, victoriam ab diuis exposcere: neque erat quiſquam omnium qui non in eius diei caſu ſuarum omnium fortunarum euentum conſiſtere exiſtimaret. Horum precibus & fletu milites qui vrbis præſidio relicti erant excitati, vt extremo tempore ciuitati ſubuenirent, maximo animo ac fiducia duce Nicolao Gireſmio equite Rhodio ad pontem progreſſi, Ligerim tranſmeant, eo miraculo vt fides rerum commento fabulæ adumbrata videatur. Nam cùm ad vtranque pontis reſciſſi partem

trahes poſuiſſent, eæque eſſent breuiores quàm prærupti pontis latitudo requirebāt: ad eius rei ſubſidium, vt alteram alteri alligarent, atque ita lōgiores eas facerent, ſe dederunt: adhúncque modum Ligerim incerto profundóque alueo decurrentem armati tranſgrediuntur, & alijs ſe coniungunt. Exitus tandem is fuit, vt cùm iam à prima luce ad noctem vſque pugnatum eſſet, Franci autem acriùs inſtarent, languidioribúſque Anglis vallum ſcindere, & foſſas complere cœpiſſent, réſque eſſet ad extremum perducta caſum, hoſtes perterriti, magna cæde loco moti, fœdéque in fugam diſſipati, captas noſtris munitiones reliquerint: atque dum ad arcem veluti ruentis cœli turbine conſternati ſubducere ſe conantur, premen-

prementium pondere ruptis pontis aſſeribus, præcipitati in præaltos & limoſos foſſæ gurgites, fœdè perierunt: atque in his Glacidas, & pleríque alij viri nobiles: ídque magno Francorum damno, cùm pro ſalute ſua quamplurimum quiſque auri potuiſſet pendere. Periêre ex Anglico exercitu circiter quingenti: reliqui in deditionem venerunt. Adijciunt miraculum huic victoriæ, duos iuuenes diuerſo à cæteris armorum habitu, eximia magnitudine, in albis equis in aëre viſos, ſummíque exercitus clamorem & ſignorum ſonum exauditum eſſe. Vulgi opinio tenuit extitiſſe diuorum Agniani & Euurtij ſpeciem, quos perſuaſum habet Aurelios omnibus dubijs temporibus certo tutelari numine conſeruare.

Expugnatis Anglorum munitionibus, & præſidio ſtrage oppreſſo, & ſi totius diei continenti labore erat exercitus confectus, nóxque iam ſuberat, vetuit tamen Ioanna loco abſcedi: & vt illic milites more caſtrenſi vigilias agerent, edixit. Eo de prælio in vrbe ſupplicatio decreta eſt, gratiæque Dijs immortalibus actæ. Ioanna magna & clara anteà maior atque clarior haberi cœpit: milites ſimul & ciues ad cœlum ferre: Angli magis quàm mortalem timere. Poſtremò omnes Franci atque hoſtes credere, illi aut mentem diuinam eſſe, aut Deorum nutu cuncta portendi. Angli aſperrimis rerum omnium incommodis conflictati, & de ſalute publica deſperantes, ex communi omnium ſententia abeundum cenſent, dum res

quamuis afflictę, nondum tamen perditæ forent. Neque in bello malè auſpicato ampliùs perſeuerandum eſſe, alia grauiora bella imminere, ad quæ reſeruare has copias oporteat. Ea re conſtituta ſecunda vigilia magno cum ſtrepitu ac tumultu caſtris egreſſi, omni cum exercitu abeunt. Hac re ſtatim per ſpeculatores cognita, Aurelij duces inſidias veriti, exercitum caſtris continent. Prima autem luce confirmata re, eos cum vniuerſo exercitu ſubſequuntur: ſed Ioanna, quòd is dies Dominicus eſſet, magno omnium dolore, aggredi vetuit. Verùm dum ad certam prædæ ſpem quiſque vel iniuſſus properandum exiſtimaret, multi abeuntes conſequuntur. Cùm ab extremo agmine ad quos ventum erat con-

ſiſterent ; fortitérque impetum noſtrorum militum ſuſtinerent, priores quòd abeſſe à periculo viderentur , neque vlla neceſſitate , neque imperio continerentur, exaudito clamore perturbatis ordinibus omnes in fuga ſibi ſubſidium poſuerunt. Ita ſine vllo periculo tantam eorum multitudinem noſtri interfecerunt, quantum fuit diei ſpatium. Burgius Barra homo & gentis nobilitate & rei militaris ſcientia clarus, cùm à quodam Auguſtinenſi qui profeſſione ſanctitatis confeſſione criminum Talbotum expiare ſolitus erat , in fuga catenis traheretur , iámque longiùs abeſſet exercitus, vi monachum coëgit , vt ſe humeris impoſitum in vrbem deferret. Quæ quidem res Francis maximam voluptatem attulit , quòd homi-

nem honeſtiſſimum ereptum è manibus hoſtium, ſibi reſtitutum viderent: neque eius calamitate de tanta voluptate & gratulatione quicquam fortuna diminuerat. Hoſte fuſo fugatóq; Ioanna & cæteri duces cum exercitu pleni honore & gratulatione in vrbem redeunt. Ad hunc redeuntis exercitus triumphum effuſa omnis multitudo obuiam procedit, & vniuerſos quidem duces, præcipuè tamen Ioannam mirantur: in hanc oculos ciuitas vniuerſa, in hanc ſuſpenſa ora conuertit: hanc quaſi de cœlo miſſam, & vt ipſam victoriam omnes contuentur: omnibus non humanis tantùm, verum etiam & diuinis penè honoribus honorant, vindicem Francicæ maieſtatis appellantes, quæ pro Franciæ in omne æuum ſe-

curitate, res humanis maiores confeciſſet. Fœlicem tantæ expeditionis euentu, cuius fortitudinem cum virtute certantem, neceſſitatem quandam ineluctabilem deuiciſſe ferebant. Factum Senatuſconſultum, vt poſteri diem hunc feſtum effuſo omnium ordinum gaudio, iocíſque proſequerentur. Intereà ingens tota Francia deleti Anglorum exercitus fama, liberatæq; vrbis Aureliæ diuulgatur. Stupor itaq; omnes & admiratio inceſſit, vnde tantæ vires præſertim ab hoſte iam propè victo: admiratio deinde paulatim in contemptum Anglorum vertitur: ita vt multæ vrbes iam de defectione conſilia inire cœperint. Igitur Carolus cognitis rebus, ob ea feliciter acta Dijs immortalibus ſupplicationes decernere: Aula regia

trepida, antea ſolicita de belli euentu, læta agere: de Ioannæ fama præclara eſſe. Ab Aurelijs primùm Ioannæ gratiæ verbis ampliſſimis aguntur: quòd eius virtute, conſilio, prouidentia vrbs periculis eſſet maximis liberata. Nothus Aurelius, Sanſeuerus, Raius, Hira, Grauillæus, Colonceus, Florentius Dillierius, Corozeus, Santrailla, Alanus Gironus, Iametius, Tilloius Burgius, Barra, Amadeus, & cæteri præfecti, quòd eorum opera forti fideliqueve vſi eſſent Aurelij, meritò ac iure laudantur. Ciues porrò paratos eſſe pro illorum gloria ac ſalute ſanguinem, ſi ita res ferat, vitámque profundere, nedum fortunas prodigere. Nec multò pòſt Ioanna cum multis clariſſimis ducibus vrbem egreſſa, ad

regem profecta eſt, vt cum eo de itinere Rhemorum ac ratione gerendi belli conſilia iniret: venientem ſummo cum honóre ac inſigni maximè liberalite rex ſuſcepit, gratiamque ei quam potuit maximam habuit pro ſic affecto in remp. animo pro nauata enixè opera, quò rem Francicam in ſua tandem ſede ſaluam ſiſteret, quantum prouideri humana ratione potuiſſet: pro denique liberata, & ab hoſtium iniuria vindicata vrbe Aurelia. Præfectos verò ſigillatim, tribunóſque militum appellat, quorum egregiam fuiſſe virtutem audierat. Ioanna autem hortante eum vt iter Rhemos ad ſacrum chriſma, regníque inſignia accipienda ſuſciperet, conuocato celeriter concilio, omniúmque ordinum ad id adhibitis du-

cibus, ſententias exquirere cœpit: quorum pars exiſtimare ſeſe inquiebat, è republica non eſſe tantam rem eo tempore aggredi: primùm quod credibile non eſſet Anglorum exercitum, quem ipſi florentiſſimum paulò antè vidiſſent, ita iã ſe abdidiſſe, vt non modò reſtitui, ſed etiam adaugeri paucis diebus non poſſit, in tam promptis ad arma capienda populis: deinde per non pacatas vrbes multorum dierum itineribus eundum eſſe, quarum populi Francorum conatibus ſi aduerſentur, aut erunt ipſi bello priùs ſubigendi, aut ab incœpto turpiter deſiſtendum. Pars in Normaniam eundum cenſebat, pars verò adhuc quieſcendum: nam vt Aurelijs ad hoſtem repellendum copiarum ſatis fuerit, quanquam quis eum repulit? ſua

ipſe ſponte ſe recepit: ſed ſit omnino repulſus, ad circunferendum tamen bellum, obſidionéſque ducendas Francorum copias non ſuffecturas: præſertim cùm exiſtimandum ſit, omnem Angliam ne tantum dedecus admittatur conuenturam, vireíſque ſuas in communem vtilitatem explicaturam: iactantis porrò eſſe ingenij & leuiſſimi, ardore triumphandi in diſcrimen per incertos euentus certaminum, ſecuritatem ſubditorum præcipitare: neque Regi bono quicquam minùs quàm temeritatem congruere. Satis celeriter fieri, quicquid commodè gereretur: armáque niſi maioris emolumenti cauſa, nequaquam mouenda eſſe: ne compendio tenui, iactura graui petita victoria ſimilis ſit hamo aureo piſcanti-

bus, cuius abrupti amiſsíque detrimentum nullo capturæ lucro penſari poteſt. Horum oratione Carolus permotus videbatur conſilium proficiſcendi Rhemos depoſiturus, niſi Ioanna illum his verbis confirmaſſet. Vererer (inuictiſſime Carole) ne tibi maius audaciúſq; conſilium meum, quàm aut pro memoria cladium nuper acceptarum, aut pro ſexu atque ætate mea videatur, ſi humanis viribus niteretur: nunc verò cùm deorum benignitate liberata obſidione Aureliorum vrbe, id paremus atque agamus, non vt ipſi maneamus in Francia, ſed ne Angli maneant: nec vt pro ripa Ligeris ſtantes arceamus tranſitum hoſtis, ſed vt vltrò tranſeamus, transferamúſque bellum, quid eſt quod cunctemur diutiùs? quid enim hic

ſtantibus ſpei eſt? Stultitia eſt ſedendo debellari credere poſſe. Non votis ſtultis auxilia Deorum parantur : vigilando , agendo , bene conſulendo , audendo, proſpere omnia cedunt. Vbi ſocordiæ te atque ignauiæ tradideris, nequicquam Deos implores : irati, infeſtíque ſunt. Quid verò minùs conueniat , quàm cùm aliæ ſuper alias clades cumularentur , ac Dij propè ipſi cum Anglis ſtarent , nos labantem Franciæ fortunam ſuſtinuiſſe:nunc quia depulſis hoſtibus omnia ſecunda in dies lætiora ac meliora portendantur , animis deficere? Dij immortales quibus ego ducibus hanc mentem voluntatémque ſuſcepi,per nocturnos viſus omnia læta & proſpera oſtendunt,tuam breui tempore vniuerſam Franciam futu-

ram : hinc omne Anglicum nomen maria terráſque'fœda fuga impleturum, & quod Dij portendunt,idem ſubijcit ratio haud fallax : vexatæ ab ijs Franciæ vrbes, noſtram fidem, atque auxilium implroant. Duces Anglorum cum Burgundione diſcrepantes propè vt defecerint alij ab alijs,exercitus ac vireis diſtraxêre: eadem in illos ingruit Fortuna quæ nuper nos afflixit: nam & deſeruntur à ſocijs, & mutuis diſſidijs deduxerunt exercitus: quæ tuo patri atque adeò vniuerſæ Franciæ cauſa exitij fuit: nec diſcordia inteſtina coïre eos in vnum ſinet,neque ſinguli nobis reſiſtere poterunt. Omnia matura ſunt, victoria, præda, laus. Quæ ſi dubia, aut procul eſſent, tamen omnes bonos reipublicæ ſubuenire deceret. Tu

modò (Carole) Fortunam audaci animo experire, atque exiſtima omnia proſperè euentura. Poſtquam Ioanna dicendi finem fecit, principes omnes, itémque præfectorum magna pars ſententiam eius laudant, virtutem animi ad cœlum ferunt: alij alios increpantes, timidos vocant: Ioanna magna atque clara habetur. Regis decretum fit, ſicut illa cenſuerat, maximè quod nihil adhuc fruſtra monuiſſet, planúmque eſſet omnia quæ ipſa ageret, deorum immortalium nutu atque poteſtate adminiſtrari: priùs tamen viſum eſt dum maiores copiæ cogerentur, aliquot vrbes ad Ligerim ſitas recipere. Itaque Alençonium ijs diebus ab Anglia (vbi aliquot annos captiuus fuerat) reuerſum, omnibus copijs cum imperio

præficit, adiuncta illi Ioanna, cuius conſilio omnibus in rebus vteretur. Hic Aureliam profectus, fit certior Ioannem Faſcotum cum duobus hominum millibus Lutetia egreſſum, Gergeum Aurelianenſis agri oppidum, vt illud commeatu & præſidio firmaret, contendere: quibus rebus ille vehementer commotus, maturandum ſibi exiſtimabat, ne ſi illa Anglorum manus in vrbem intraret, non facilè expugnari poſſet. Itaque omni diligentia adhibita cum omni exercitu, non ſine ſpe potiundi oppidi, celeriter eò contendit. Paucis antè diebus Nothus Aurelius, Sanſeuerus, Santrailla, Corazius cum delecto equitatu ad portas vſque vrbis decurrerant, vt illius ſitum oculis metirentur, locúmque me-

tandis caſtris ſpecularentur: compulsíſque intra portam qui eruperant Anglis, interfecto clariſſimo viro Henrico Viſeto vrbis præfecto, eodem curſu in oppidum contenderant. Sed cùm loci natura, & munitio vrbis aditum prohiberent, tum quòd ad prelium egreſſi his rebus indigerent, quæ ad oppugnationẽ vrbis erant vſui, ſeſe receperant. Opere caſtrorum perfecto, ac prolato tormentorum apparatu, Franci oppidum oppugnare ſunt adorti tanta vi, vt turri totius oppidi maxima cum adiuncto illi muro fragore ingenti proſciſſa, mœnibúſque omni ex parte latè proſtratis aditum in vrbem vna nocte pateſecerint: atque incredibili celeritate omnibus ad irruptionem comparatis, prima luce ex omnibus partibus ſigno

dato alij ad turrim ruina deiectam decurrere : alij ad ruinas prouolare: alij operibus, machinis, ſaxíſque tormento emicantibus, transfoſſo muro, iter pluribus locis in vrbem aperire : alij quà murus arduus aſcenſu erat, impetum facere. Contrà Suffortius comes vrbi præfectus laborantibus ſuccurrere, integros pro ſaucijs arceſſere, omnia prouidere: multùm ipſe pugnare, ſæpe hoſtem ferire : ſtrenui militis & boni imperatoris officia exequi. Interim Francis hoſtibúſque prælio intentis, magna vi vtrinque certantibus, Ioanna dum in appellandis cohortandíſque militibus ducis, & in pugna militis officia præſtaret, de muro lapide grauiter icta cecidit : tum victoriam partam eſſe clamat. Franci tanquam cœleſti voce iuſ-

ſi, redintegratis viribus ſumma alacritate murum ſubeunt: pars ſcalis, pars haſtis innixi, ſubleuatíque alij aliorum humeris in vrbem tranſcendunt. Hoſtes inopinato malo turbati, deorum ira perculſi, mortis metu perterriti ſeſe porta foras vniuerſi proripiunt, atque in pontem recipiunt. Ibi circumuenti, interfecto Alexandro Suffortij fratre, deſperatis omnibus rebus, fuga ſalutem petere intendunt: quos equitatus apertiſſimis campis conſectatus, partim interfecit, partim intercepit. In ea fuga Suffortius Comes, equitem Francum nomine Gulielmum Renaldum acriùs inſequentem ſe, quòd acerrimè inter Francos eum pugnare conſpexiſſet, equeſtri honore ornauit, ac ſeſe illi dedidit: eque-

ſtris ſiquidem ordinis dignitas non in otio imbellibus ambitioſè quæſita; ſed fortibus teſtatæ virtutis meritò in acie parta, viros vel infimæ ſortis longè nobiliſſimos efficere conſueuit. Captus quoq; Ioannes Pulla, & pleríque alij inſignes viri: quos Aureliam noctu deducendos curauit Alençonius, quòd Franci inter ſe de captiuis & præda rixantes cateruatim manus conſererent: quæ res cæſorum quoque ſtragem accumulauit. Vrbs ipſa miſerabilem in modum ciuibus aut interfectis, aut captis direpta: nec templum à militum libidine defendi potuit, vbi res pretioſæ charioréſque ciuium in ipſo belli metu abſconditæ fuerant. Præſidio vrbi relicto Alenconius, & Ioanna cum exercitu Aureliam reuertuntur, quò pau-

lò antè ad coniungendas vireis venerant Vallenſis Britannus, Chauuignius ex Berria, & Vicedominus Carnutenſium. Gergei capti nuntius Anglos quòd oppidum & natura loci & militum manu apprimè communitum paucis diebus, quibus eò ventum erat, expugnatum cognouerant, maximè commouit, & Carolum regem incredibili affecit lætitia, eùmque veluti certo iam victoriæ nomine accepto, ad maturandam Rhemos profectionem ſolicitauit. Vnum in armis reſtabat oppidum in Aurelianenſi agro Baugenſiacum. Alenconius arbitratus id bellum celeriter confici poſſe, exercitum eò deducere conſtituit: ſed quòd erat in itinere Magdunum oppidum, vbi Angli pontem munierant ſic, vt eis in-

uitis commeari non poſſet, in ſuam poteſtatem pontem illum redigere & itineris, & commeatus cauſſa, & quod ita omnes cenſerent, ne quid inimicum poſt ſe relinquerent, primùm omnium decernit. Erant præſidio impoſiti trecenti ſpectatæ virtutis Angli, qui cùm ſe ſatis tutos fore crederent, nec tantam vim Francis, quantam poſteà ipſorum aliorúmque periculo compertum eſt, ineſſe putarent, ſumma ope parabant ſe ad pontem defendendum. Nec mora, tanta vi Francorum, oppugnatio cœpta eſt, vt paruo temporis momento, ne quicquam ſe tuentibus præſidiarijs, Franci irruperint. Neque quiſquam fermè eorum, qui acriùs reſtiterant, cædi ſuperfuit: quo ſpatio cæteri per aduerſam portam effuge-

runt, ſic vt imbellium ſalus (quod plerunque accidit) ſtrenuorum hominum morte conſtiterit. Firmo præſidio ad pontem relicto, ne quis ſubitò ab Anglis motus oriretur, reliquas copias equitatumque traducit, atque Baugenſiacum peruenit, admotis tormentis diſploſiſque in oppidum globis aliquot, propugnante nemine, vrbem cum exercitu ingreditur. At hoſtes qui collocatis inſidijs opportunis atque occultis in vrbe locis Francorum aduentum expectabant, ex omnibus partibus ſubitò ſeſe oſtenderunt, nouiſſimóſque premere & primos repellere, atque iniquiſſimo noſtris loco prælium committere cœperunt. Sed tandem magna ſuorum iactura, in arcem compulſi vrbe excluduntur. Alenconius

captum fruſtrà oppidum ratus arce in hoſtium poteſtate retenta, cum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi præſidiarios permouere poſſet, arcem binis caſtris circumdedit, vnóque tempore obſidione atque oppugnatione premere cœpit. Hoſtes celeritate Francorum permoti, miſerrimáque Gergenſium memoria ſoliciti, cum nec ſe viribus pares, nec ad obſidionem ferendam inſtructos viderent, ſuper hæc à ciuibus crudelitate eorum offenſis veriti ne deſererentur, omnium conſenſu Diœcetes Eburionicum prima vigilia de muro cum vigilijs cuſtodibúſque Francorum colloquitur: velle ſi ſibi fiat poteſtas Ioannam conuenire. Facta poteſtate ex arce mittitur, atque ad Ioannam de ductus eas

tandem deditionis conditiones impetrauit, vt liceret omnibus tam Anglici quàm Francici generis ſolutis metũ, ac ſine fraude arce excedere: militares equos, arma, ſarcinas, modò eæ libram argenti non excederent, ſecum educere: ijs etiam pactis iureiurando adacti, ſe intra decem dies aduerſus Francos arma non laturos. His rebus cõfectis ciues in Regis Caroli verba per iuſiurandum adiguntur. In ea obſidione Arthurus Richemontius Francorum equitum magiſter, àc ducis Britanni frater, Ioannæ ſeſe obtulit, ſi in antiquũ locum gratiæ atque honoris Rex reſtituat: cum expeditis equitibus (quos mille quingentos ſecum adduxerat) veterem ſuam fidem magno cum reip. Francicæ vſu tam dubijs temporibus præſtiturum confir-

confirmat, atque in eam partem iturum, ibique futurum, vbi eum Rex conſtituiſſet, atque eſſe voluiſſet. Qua in re cùm Alençonius & cæteri duces vades ſe præberent, Ioanna eum retinuit, obliuionem inconſultæ rebellionis à Rege accuratis precibus ſe impetraturam pollicita. Dum Franci ad Baugenſiacum expeditionem parant, Talbotus, Deſcallæus, & Faſcotus ſummæ inter Anglos potentiæ Lutetia egreſſi cum quatuor hominum millibus, Baugenſienſibus ſubſidio veniebant: qui cùm in itinere quo in periculo præſidium atque arx verſarentur cognouiſſent, pluribus carris, ac magna vi omnis generis commeatus, cum impedimentis (quæ ſecum agere ac portare non poterant) Stempis cum præſidio depoſitis, nihil

ad celeritatem ſibi reliqui fecerunt. Sed accepto deditionis nuntio, ex itinere Magdunum diuertunt, atque pontem magno impetu oppugnare cœperunt. Franci contemptis ſuperatíſque eodem in loco paulò antè hoſtibus, cùm aduentare primum exercitus agmen intellexiſſent, & pudore cedendi, & cupiditate per ſe conficiendi prælij fortiſſimè contra tãtam multitudinem præliantur. Hoſtes verò nihil ampliùs copiarum acceſſurum credentes, delendi præſidij nacti occaſionem videbantur. Cùm aliquot horas ſumma contentione dimicaretur, fiunt certiores Angli Francos magna celeritate ſuis ſubſidio aduenire: qua rę perculſi ac perterriti, relicta oppugnatione, ijſdem itineribus quibus eò perueniſſent: ad ſalu-

tem contenderunt. Qua re cognita, Ioanna leuis armaturæ equites ad mille quingentos, ducibus Hira, Potone, Iametio, Tilloio, Ambroſio Loro, Thealdo Thermæo ſingularis & animi & prudentiæ viris præmittit, qui ad hoſtes aduolent: & dum alij cum robore grauis armaturæ equitum, peditúmque expeditis cohortibus ſubſequuntur, tumultuaria pugna hoſtes diſtineãt. Hoſtes ad Pataicum vicum in Belſia conſederant: noſtri verò explorato hoſtium ſtatu, ad præliandum animo atque armis parati, cùm ſubſequente exercitu nullam dimicationem recuſarent, turmatim in eum locum deuenerunt. Fit magna contentione diuerſum prælium: quod cùm diutiùs pari propè marte iniretur, accedit proprius, exer-

citus, crebríque eodem tempore & noſtris & hoſtibus nuntij perferuntur Alençoniū & Ioannam inſtructis copijs adeſſe. Præſidio cohortium confiſi noſtri acerrimè præliantur, ne ſi tardiùs rem geſſiſſent, victoriæ gloriá cõmunicaſſe cum alijs viderentur. Hoſtes concidunt animis, victi tandem perculsíque, maiore parte amiſſa cõſternati, quò ſors tulerat profugiunt, qui tamen in fuga à noſtris acriter inſequentibus conficiuntur: lætitia enim victoriæ elati, cedentibus circunfuſi, quantùm equorum vires ad perſequendum, dextræque ad cædendum valent, tantùm eo prælio interficiunt. Itaque amplius millibus tribus aut armatorum, aut eorum qui timore arma proiecerant, interfectis, reliqui penè omnes ca-

piuntur: atque in his Talbotus, Deſcallæus, Thomas Rameſton, Honguefortius, omnes magni inter Anglos nominis. Nam cùm ij ſe Ianuillam recipere conarentur, & ciues ad eam imminentis maximi exercitus molem ſuſtinendam conſilio ac viribus impares ſe cernerent, voluntate commutata, ad promerendam Francorum gratiam, deceptis Anglis (qui illis pretioſiorem omnem apparatum paulò antè reliquerant ac crediderant) portas clauſerunt: amicitiarum iura non fide, ſed ſucceſſu ponderantes. Ioannes Faſcotus à pluribus circumuentus, ægrè ſe è manibus hoſtium eripuit, atque Corboliam ſe in tutum cum paucis recepit. Eodem die Ienuillam intromiſſo exercitu, oppidani in regis Caroli verba iurant. Hac

intellecta pugna, Santiſigiſmundi caſtellum, Mompipeum, & pleraque alia Belſiæ regionis caſtella præſidiarij Angli, quòd ab ſe teneri non poſſe iudicabant, ne cui eſſent vſui Francis, incenderunt: frumenti quod ſubitò potuerunt, auexerunt: reliquum incendio corruperunt, ac diſperſi profugerunt. Quibus de rebus & vires vndique Francis creſcebant, & ſpes ipſa quæ nunquam Carolo defuerat, apud inuictum animum, ſupra eius miſeriȩ conditionem efferebatur: ita vt Fortuna, quæ immitis atque acerba Regi infȩliciſſimo ſupremas inſidias tetenderat, tum primùm commutatis iniuriis, proſperos rerum exitus promittere videretur. His ita geſtis rebus Alençonius, Ioanna, & cȩteri duces cum exercitu Aure-

liam redeunt : quò ventutum ſeRex cùm pollicitus eſſet,diemque feſtum vrbi in aduentum eius ciues indixiſſent, domos, templa, cæteraque omnia exornari iuſſiſſent, tamen non venit. Ei verò ad Sullieum oppidum Ioanna, & cæteri duces præſto affuerunt: atque ibi de genere ac numero auxiliorum, de itinere Rhemorum, ac ratione gerendi belli conſilia inita. Actum etiam de Arthuro Magiſtro equitum: cúmquePuella pluribus verbis à rege peteret, vt illi parceret, rex eius dexteram præhendit, rogat orandi finem faciat: tanti eius apud ſe authoritatem eſſe oſtendit,vti & Reip.iniuriam,& ſuum dolorem eius voluntati ac precibus condonet. Ne autem eum ad ſuum comitatum admitteret, vnum obſtitit: nam ne eius præ-

ſentia Trimolij animum (cui plurimùm tribuebat) offenderet, verebatur, indignante maximè Ioanna quòd in conficiendo bello, eius forti ac fideli opera opportuníſque opibus Rex vti potuiſſet. Ille itaque ne quam bene gerendæ rei occaſionem prætermitteret, ratus ijs quas haberet copijs ſatis virium fore ad capiendum oppidum (cui à palude nigra nomen eſt) vel militibus ſua celeritate atque virtute in oppidum non præmunitum irrumpentibus, vel quòd repentino exercitus aduentu oppidani perterriti, ne diripiantur, deditionem faciant, eò exercitum adduxit: vir enim in omni conſilio viuidus & ferox, reíque gerendæ percupidus aliquid ſibi omnino tentandum exiſtimabat, vt qualis erga Francorum no-

men foret, tanquam ex itinere oſtenderet. Hoſtes vbi intelligunt omnes ſuas fortunas in extremo ſitas, hoſtem infeſtum, ſpem auxilij nullam, penuria rerum neceſſariarum bellum non poſſe trahi, permittente Magiſtro equitum, legatos deprecandi cauſa ad Regem mittunt. Adeunt per Alençonium: libenter Rex petentibus dat veniam, eâ conditione vt obſidibus datis, intra decem dies præſidiarij ſua omnia aſportarent, vrbémque Francis traderent. Itaque Alençonius per literas Magiſtro equitum mandat, ne per vim oppidum expugnari pateretur, ne grauiùs permoti milites & defectionis odio, & contemptione ſui, omneis interficerent: quod ſe facturos minabantur. Quo mandato commotus, Magiſter

equitum milites ex opere deducit, atque oppugnatione deſiſtit: ægrè tamen tunc ſunt retenti quin in oppidum irrumperent, grauitérque eam rem pertulerunt, quòd ſtetiſſe per Alençonium videbatur, quominùs oppido potirentur. At hoſtes ſine fide, nunquam exuta malignitate pœnitentes, ſed paratis animis (quos diuerſis vultibus effingebãt) renouare perfidiam, odiúmque vetus exercere, vnum expectabant, vt ſcirent quorſum ille impetus euaderet: abeunte enim Magiſtro equitum, & Rege cum omnibus copijs Rhemos iter habente, nullam ſibi moram attulerunt, quin eoſdem animos redintegrata perfidia erigerent: nam per inſidias interceptis aliquot equitibus, qui Alençonij ſigna ſequebantur, illi mandant ſi

velit ſuos recuperare, obſides ſibi remittat: vrbéque demum maiori præſidio munita, in partibus Anglorum manent. Illis ipſis diebus Lodoicus Culanus Franciæ Thalaſſiarchus, qui Regis iuſſu ad Bonniacum oppidum profectus fuerat, (quod oppidum in Anglorum partibus obſtinatè ſe continuerat) muro tormentis perforato cùm ſe milites vellent intromittere, nulla ſpe oppidanis reliqua ſe tuendi, ne vrbs honeſta diriperetur, milites retinuit, & pacatè oppido potitus eſt.

AVRELIÆ VRBIS ANGLICANA obſidio.

LIBER QVINTVS.

SVMMARIVM LIBRI.

Regi Rhemorum iter aggreſſo conſtat exercitus equitum peditúmque duodecim millia. Ille reliquas copias per captas vrbes diſpertitur. Altiſiodorum recuſat ingreſſum: præbet commeatum in tres dies. Inde pergitur ad fanum Florentij. Oppidani recipiuntur in fidem. Ioanna egregia oratione firmat Regem animi dubium de Tri-

caſſibus cogendis. Rei frumentariæ magna penuria. Facta Tricaſſium deditione, Rex Catalaunum progreditur. Catalaunenſes mirantur Ioannam cum ſtupore tanquam Palladium demiſſum cœlitus. Accedente Carolo Angli præſidiarij Rhemis excluduntur. Rex excipitur triumphali pompâ ſummáque ciuium lætitia. Ceremoniæ conſecrandi Reges. Reges Franci creduntur ſanare ſtrumas ſolo verbo & manus attactu. Dux Betfordienſis cum magnis copijs Lutetia egreſſus, venit Melodunum, animo conſerendi manus: mox conſilio mutato redit Lutetiam. Rex mutat ſententiam grauiſſimis Ioannæ rationibus. Compendium redactum in deditionem à Notho Aurelio. Capti Bellouaci. Petrus Cauchonus Epiſcopus conjectus in vincula. Caroli exhortatio in acie.

Francorum militum pugnandi alacritas. Diſceſſus Ducis Betfordienſis. Ioanna ſagittæ ictu vulnerata ad muros Pariſienſes. Lutetia excluſis Anglis planè liberata. Ioanna capitur ab hoſte obſidente Compendium. Deinde Rothomagi iniquiſsimo Anglorum iudicio, ad palum & ignem damnatur, viua exurenda. Præclarum Angli cuiuſdam reſponſum, ob prauitatem & ſcelera hominum, Bella inferri diuinitùs.

CÆTERVM Carolo Regi ingens de itinere Rhemorum cura erat: vndique omnes copias contrahit, totis viribus tantæ rei diſcrimen aditurus. Igitur caſtris ad Gienſe (alij Genabum vocant) oppidum poſitis, quo maiore

animo rem capeſſeret, vniuerſas copias in conſpectum dedit : atque ex ijs quicquid floris ac roboris erat, ſibi deligit. Fuere equitum ac peditum duodecim milia, tormentorum iuſtus numerus, eorum præſertim quæ expeditis curribus veherentur. Reliquas verò copias per vrbes captas diſpertitus eſt, ac paratis quæ ad profectionem pertinebant, tertio Calend. Iulij qui fuit dies Petro ſacer, Gienſi mouit: & ſub ſignis iter ingreſſus, nullo prohibente Altiſiodorum peruenit (erat id oppidum Burgundiæ) quo ſi potiretur Rex, alios poſteà eius oræ populos paruo negotio in deditionem conceſſuros apparebat. Nec mora; caduceatorem præmiſit, qui denuntiaret niſi ſe dederent, ipſos vltima eſſe paſſuros. Ad ea oppi-

dani reſponderunt, non debere Regem iraſci, ſi ipſum oppido recipere recuſent, cùm Anglorum ac Burgundionum imperium tota Francia vigeat: pro quo ipſi extrema ſuſtinere parati eſſent, ne primi omnium perfidia aut metu defeciſſe videantur. Duces indignantes quòd oppidum muro debile & facultatibus modicum tanti exercitus vim atque impetum morari auderet, confeſtim arma expediunt: ſed Carolus cùm longiùs eam rem ductum iri exiſtimaret, repentè occupandæ vrbis conſilio depulſus, accepto gratuito commeatu eam oppugnari vetuit. Ferunt Regem à quodam pecunia ab oppidanis corrupto impulſum, inuictis & improbantibus cohortium atque alarum præfectis, ac maximè Ioanna

(quæ cuncta facilia atque expedita ad victoriam pollicebatur) de victoria nulla ratione deſperaſſe: cùm ea militum robora eſſent, vt ad primos impetus in vrbem peruaſura crederentur. Prouiſo commeatu & iumentis trium dierum quiete recreatis, ab eo loco ad fanum Florentij contendit. Ex oppido legati eum adeunt, qui ſe de ſuperioris temporis conſilio excuſant, ſéque ea quæ ille imperáſſet facturos pollicentur. Hæc ſibi ſatis opportunè Rex accidiſſe arbitratus, quòd neque poſt tergum tot hoſtes relinquere volebat, neque has tantularum rerum occupationes itineri Rhemorum anteponendas iudicabat, eos in fidem recipit. Poſtero die caſtra mouit, & ad Tricaſſes proficiſcitur. Oppidani multò antè Burgun-

dionem omnium rerum vecti-galiúmque præterquam ſalis immunitatem concedentē mœnibus receperant : qui vrbem deinde Anglo tradidit. Carolus ad tentandam oppidanorum fidem, ſingularis induſtriæ hominem in oppidum præmittit qui eos ad deditionem faciendam adhortetur, moneátque ne inani & mox nihil profutura pertinacia, in ſummum periculum (quod à validiſſimo exercitu ſtatim immineret) ſeſe ac fortunas ſuas deuocare vellent. Erant præſidio impoſiti ſexcenti fermè Angli, qui non modò clauſerunt portas, ſed repentè cohortes ſub ſignis eduxerunt, vt Tricaſſes quos pauidos & in fide nutantes cernebant, alacriter erumpendo in fide atq; officio continerent. Sed acriùs quàm conſtantiùs

prælium inierunt : quippe vt Francorum ſigna circumagi videre , repente ſeſe in vrbem recipiunt. Cæterùm cùm nec virium nec tormentorum ſatis eſſet ad vrbem expugnandam, ſumma difficultate rei frumentariæ affecto exercitu , vſque eò vt ſex dies milites frumento caruerint, & iam pleríſque continuò furfuracei panis ac fabæ vſu tabeſcentibus ,ac morbis ſubinde per corpora hominum vulgatis, magna(id quod neceſſe erat accidere) totius exercitus perturbatio facta eſt. Hic rex fatigatus ſtatuerat ſoluta obſidione Rhemos petere : nam circa muros vnius vrbis hærere, tot maximarum rerum oportunitate dimiſſa minimè vtile arbitrabatur. Cæterùm tam diſcedere irritum: quàm morari pudebat, famam

quoque Ioannæ, qua plura quàm armis effecerat, ratus leuiorem fore ſi Tricaſſes quaſi teſtem ſe poſſe vinci reliquiſſet. Quibus de cauſis concilio conuocato, de ſumma rerum deliberare incipit. Erant ſententiæ quę conandum omnibus modis, vrbémque ſtatim oppugnandam cenſerent: porrò erant qui cenſerent recedendum, aut vlteriùs progrediendum, ſeruandúmque exercitum, in cuius incolumitate ſaluæ & incolumes res Francorum forent. Ioanna vtrunque improbans conſilium, quantum alteri ſententiæ deeſſet animi, tantùm alteri ſupereſſe dicebat: hos turpiſſimæ quaſi fugæ rationem habere, illos etiam iniquo loco dimicandum putare. Qua enim (inquit) fiducia, & opere, & natura loci munitiſſi-

mam vrbem expugnari poſſe confidimus? aut verò quid proficimus ſi accepto magno detrimentò ab oppugnatione vrbis diſcedimus? quaſi non & fœlicitas rerum geſtarum, omnium beneuolentiam regibus, & res aduerſæ odia concilient. Caſtrorum autem mutatio, quid habet niſi turpem fugã, deſperationem omnium, & alienationẽ aliarum vrbium? Quare neque tanti ſum animi, vt ſine ſpe vrbem oppugnandam cenſeam: neque tanti timoris, vt ipſa deficiam: atque omnia priùs experienda arbitror, neque hinc abſcendum, quàm ſpei noſtræ finem captis. Tricaſſibus impoſuerimus. Adeòne effœminata corpora militum noſtrorum eſſe putamus, adeò molles animos, vt paucos dies durare in caſtris non poſ-

ſint? Erubeſcant profectò, ſiquis eis hoc obijciat: contendántque & animis, & corporibus ſuis virilem patientiam ineſſe: nec ſe patrocinium mollitiæ inertiæque mandaſſe his, qui mouenda hinc caſtra ſuadent. An verò mediocre diſcrimen opinionis ſequuturum ex hac reputemus, vtrum taleis tandem vrbes Franciæ milites Francos eſſe putent, quorum ſi qua vrbs primum illum breuiſſimi temporis ſuſtinuerit impetum, nihil deinde timeat? an hic ſit terror nominis noſtri, vt exercitum non tędium oppugnationis, non fames ab vrbe circumſeſſa ſemel, amouere poſſit: nec finem vllum alium belli quàm victoriam nouerit? nec impetu potiùs bella, quàm perſeuerantia gerat? quæ in omni quidem genere militiæ, ma-

ximè verò in obſidendis vrbibus eſt neceſſaria: quarum pleráſque munitionibus ac naturali ſitu inexpugnabiles, nonnunquam fame ſitíque tempus ipſum, ſæpiſſimè verò timor vincit atque expugnat, ſicut Tricaſſes, expugnabit, idque ante triduum, ope illius, cuius nutu omnia hactenus à me & prouiſa, & adminiſtrata ſunt, fore polliceor: cuius ſpecies mihi dextram porrigentis, hac nocte in ſumno oblata eſt: illo duce, illo aperiente in vrbem intrare viſa ſum. Hæc poſtquam Ioanna vultu fiduciæ pleno perorauit, nemo ferè viſus eſt (quanquam non dubius quorundam animis inſideret metus) qui non alacriter in eius ſententiam iret, atque exiſtimaret præſtare omnes difficultates perpeti, quam tanta contumelia accepta,

cæterarum vrbium voluntates alienare. Cæterùm præſidiarij vt circunſideri vrbem vident, auxilijs vicinarũ vrbium deſperatis, quas in Caroli poteſtatem veniſſe cognouerant, ſeſe dedere conſtituunt: maximè quod caſtra regia, non alicuius hominis ingenio, atque induſtria Regi, ſed immortalis Dei conſilio gubernari manifeſtè perſpicerent. Itaque conſilio ciuitatis coacto, placuit Epiſcopum cum quibuſdam ciuibus ad Carolum mittere: qui oppidum ſe ei traditurum pactus eſt, ea conditione interpoſita, vt quibus antea legibus ſub Henrici Anglorum Regis imperio fuiſſent, eiſdem etiam deinceps vterentur: præſidiarijs militibus nullum ab exercitu detrimentum inferretur: liberúmque illis eſſet ſuis cum rebus pro-

proficiſci. His firmatis conditionibus Angli ſexcenti optimè armis inſtructi, ipſi & ætate & corporibus ſpectari maximè & timeri digni, & niſi animus eis defuiſſet, ad eam vrbem tuendam præclarè idonei, vrbe exeunt. His ita geſtis rebus Carolus Ioannam in conſilio habere, magis magíſque eam in dies amplecti, cuius neque conſilium neque incœptum vllum fruſtra erat. Eo anno frumentum in Francia anguſtiùs prouenerat, & ſolis penè fabis homines veſcebantur. Nec admiratione caret quod Franciſcanus quidam (cui Richardo Quieto nomen erat) è ſuggeſtu apud Tricaſſes paulò antè monuiſſet populum, vt ſumma diligentia fabas ſererent: venturum enim primo quoque tempore, quẽ minimè expecta-

rent. Ciuibus de more ſacramento adactis, & conſtitutis vrbanis rebus, Carolus Catalaunum rectà contendit: vrbis primores honoris cauſa, regi obuiam proceſſerunt, deditionémque ſuorum nomine fecerunt: atque eo ipſe die magiſtratus cuncti ſuo ordine, ſacerdotéſque ſacris in veſtibus ſub vmbella aurea intrantem excipiunt, quanto plauſu gratulationéque nullus ad eam diem rex: maximè coniectis in Ioannam oculis, quam tanquam Palladium de cœlo demiſſum omnes intuebantur, admiratione nominis eius, ſimul & rerum aduerſus Anglos geſtarum gloria attoniti. Promotis inde caſtris, ad caſtellum (cui à Septem Salicibus nomen eſt) octo paſſuum millibus Rhemis diſtans proficiſcitur. Hac impulſi occaſiones

Rhemi, qui iam antè ſe Anglorum imperio ſubiectos dolerent, liberiùs atque audaciùs de tradenda vrbe conſilia inire incipiunt. Itaque concilio conuocato docent ſui iudicij rem non eſſe, neque pati poſſe Carolum regem ſuum vrbe mœnibúſque prohibere: proinde habeant pręſidiarij rationem periculi ſui, & ſua ſponte dum ſine periculo liceret, vrbe excederent: ſi id non feciſſent, ſibi conſilium capturos. Qua oratione permoti præſidiarij, ex vrbe profugiunt. Tum verò ciues legatos ad Carolum primos ciuitatis miſerunt, qui dicerent ſe ſuáque omnia in fidem ipſius atque poteſtatem permittere: atque eodem die ſacerdotio ciuitatis ſacris inſignibus velato, decurionibus & primoribus ciuium ad portas op-

perientibus, Carolus cum Ioanna ac proceribus reliquáque nobilitate vrbem ſub ſacra vmbella intrans excipitur lætis fauſtíſque ominibus, omni ordine, omni ætate proſperum felicémque ingreſſum apprecante: vijs, vt tempus anni ferebat, flore multo, feſta fronde, virente herba ſtratis. Supernè velis vmbraculíſque honeſtantibus: aulæorum magnificentia varietatéque ac picturarum, tabularúmque artificio exterioribus domorum parietibus veſtitis: Nulla lætitiæ ſpecies, nullum dignitatis exemplum non excogitatum, non exhibitum. Nec auidiùs ipſum regem, quàm Ioannam intuebatur populus: namque haud facilè dictu eſt, præter ingenitam illi genti erga Reges ſuos venerationem, quàm tum huius quoque regis vel admirationi dediti fue-

rint, vel charitate flagrauerint: quòd nihil niſi diuina ope aggredi videretur Intranti vrbem regi Renatus Barrenſium & Lotharingiæ dux, & Commerciæus magno cum comitatu præſto affuerunt. Sequenti die idibus Iulij Sanſeuerus, & Raïeus equeſtris Francorum militiæ Archiſtrategi, Culanus Franciæ Thalaſſiarchus, & Grauillæus ſummi vir ordinis, miſſi à Rege ad Cœnobiarcham diui Remigij, qui ampullam olei ſacri refertam (eam cœleſtem Angelum olim ſub ſpecie candentis columbæ diuo Remigio Archiepiſcopo obtuliſſe, quo Rex Clodoueus & deinceps eius ſucceſſores vngerentur vulgo perſuaſum eſt) peterẽt. Nec multò pòſt veniente cũ ea Abbatem Reginaldus Carnotenſis vrbis Archiepiſcopus (quẽ

comitabatur reliquum ſacerdotium aulicum ſacris inſignibus velatum) ad fanum Dionyſij excepit, & ad ſummum templum detulit. Huc cum Rege Ioanna, ac frequens principum cœtus, inclytarúmque familiarum proceres, ac reliqua Francorum nobilitas proceſſit: Rex primùm conſenſu gratulantium procerum, equeſtris dignitatis ornamenta de manu Alençonij lubens accepit. Inde librum Francicarum legum atq; inſtitutorũ Archiepiſcopus porrexit, quas ſe ratas habiturum aræ maximi templi admotis manibus iureiurando ſciuit: magnóq; omnium conſenſu Rex ſalutatus, ac vnctione ſacra, ſeruatis cæremonijs, principatui inauguratus eſt. Sunt antiquitus à præſtantibus ingenijs cum ſumma verborum

elegantia compoſita quæ ex ſacro libro ad ſtatas rerum & locorúm cæremonias ab alijs atque alijs ſacerdotibus in frontem Regis perleguntur. Sed non eſt neceſſe vt cuncta ſicut ſigillatim fuere celebrata minutiſſimè referantur: quando ea in multis libris ad amuſſim deſcripta videamus. Rege conſecrato Alençonius & Claromontanus inſigneis aliquot Francos, ob eximiam ſpectatámque virtutem ex militari cæremonia, conceptis verbis diſtrictóque gladio, quo leuiter ſiniſter humerus petebatur, equeſtri dignitate decorarunt. His ita geſtis rebus, præſentibus cunctis proceribus Ioanna pedibus Regis aduoluta (quam veluti cœleſti voce angelum loquentem audiebant omnes, ſuſcipiebant, admiraban-

tur) ſeſe iam Reip. Franciæ, ac Regi officium præſtitiſſe dixit: Regémque ipſum ad excellentis & perfecti Principis officium & munus adhortata eſt. Triduo pòſt Carolus Regum veſtigijs inſiſtens ad fanum Marcolphi contendit: eſt enim vulgo perſuaſum, Reges Francos diui Marcolphi numine, grauiſſimos ſtrumarum morbos non medicamentis, ſed ſolo verbo & admonitione manuum ſanare: ob idque ſacrati, fanum ipſius inuiſunt. Hinc ad Vailliæum oppidum diſtans à Sueſſionibus octo paſſuum millibus proficiſcitur. Huc ad Regē Sueſſiones legatos miſerunt, qui ei claues vrbis offerrent: atq; eo ipſo die Rex ſe in vrbem intulit. Exceptus eſt ipſius aduentus ab omnibus, incredibili honore atque amore: nihil

relinquebatur quod ad ornatum portarum, itinerum, locorúmque omnium, quà Rex iturus erat, excogitari poſſet. Cum liberis omnis multitudo obuiam procedebat: triclinijs ſtratis fora templáque occupabantur, vt vel expectatiſſimi triumphi lætitia percipi poſſet: tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores. Huc Carolo nuntius lætus affertur Laodunum opibus & ſitu inſigne oppidum, Caſtrotheodoricum, Creciacum Briæ oppidum Agendicum, & pleraque tractus eius oppida ſuæ facta ditionis. Igitur præſidio apud Sueſſiones relicto, cæteríſque deditarum vrbium præſidijs pari diligentia confirmatis, Caſtrotheodoricum peruenit. Agendicum inde rex copias admouit, vbi conſilio

habito vtrum ne vltra progrediendum foret, an ibi opperiendi eſſent hoſtes, quos Lutetia duce Bedfordienſi aduentare conſtabat, Ioanna non alium locum prælio aptiorem eſſe cenſebat, quàm caſtellum (incolæ Tumulum Maugis appellant) haut longè ab vrbe diſtans: itaque rex illic hoſtem opperiri ſtatuit. Iam Bedfordienſis Melodunum oppidum Senonum in inſula Sequanæ peruenerat, eo vt iactabat, conſilio, vt cum primum dimicandi facultas præberetur, cum Carolo confligeret. Cæterum vt ſolet fieri cum vltimi diſcriminis tempus aduentat, in ſolicitudinem verſa fiducia eſt. Illam ipſam Fortunam qua aſpirante res tam proſperè geſſerant Angli, verebatur, nec iniuria: ex ijs quæ antea ſibi, & modo

Francis tribuiſſet, quàm mutabilis eſſet, reputabat. Itaque Francorum militum alacritatem pugnandi per exploratores cùm cognouiſſet, ſuſpicatus fore ſi progrederetur, vt aut inuitus dimicare cogeretur, aut magna infamia caſtris ſe contineret, in eandem, qua venerat, partem rediјt. His peractis rebus Carolus opinione celeriùs quorundam perſuaſione impulſus, trans Ligerim redire conſtituit: ídque indignantibus ducibus, & maximè Ioanna, quæ ſuadebat vt poſtquam tot copiæ tanto ſumptu tantóque labore coïuiſſent, ea occaſione atque apparatu vteretur contra Anglos, quos planè deſtitutos, & magno maris ſpatio diſiunctos ab Anglia, Lutetia & tota demum Francia facilè eſſet expulſurus: initia bel-

lorum maximum in reliquos ſucceſſus momentum habere: & quæ audacter cœperis, niſi ea perficere fortiter pergas, fœdum atque infelicem exitum ſortiri: adfuturam audentibus Fortunam, quæ hactenus pro Anglis ſtetit: quæ cùm iam cœptis arrideat, nec quem vltro ad victoriam vocat, deſertura ſit, niſi ipſam ignobili cunctatione deſerat: copias Lutetiam rectà traducendas: in ipſam Franciam, de cuius iure imperióque, agatur eundum, ac vires conſerendas. Ijs permotus vocibus Carolus veluti diſcuſſo ancipiti metu animum erexit, & Caſtrotheodoricum, ac deinde Creſpicium in agro Vallenſi oppidum, contendit: atque hinc ſigna tolli imperat, & in demiſſiores campos ad Dampmartinum oppidum exer-

citum inſtructum producit. Tum verò iſtius regionis populus incredibili gaudio exultare: ex oppidis ac pagis effundi, ex agris concurrere: lætis acclamationibus ſtudium atque alacritatem ſignificare: ingenti clamore Regis nomen atque Franciam (quod eſt antiquum liberę Franciæ nomen) ingeminare: mirari ante omnia Ioannam, in qua tantùm bellici vigoris, ac benignæ probitatis ineſſe prædicaretur. Bedfordienſis vbi Regem ad Dampmartinum conſtitiſſe intellexit, copias Lutetia produxit, vt aut cum Rege confligeret, aut ſi ipſe aperto campo ſe committere vel dimicare non auderet, veluti victor, expreſſa hoſtibus ignauia reuerteretur: quod ad populos in officio continendos plurimùm conducere iudi-

cabat. Carolus de eo certior factus, non cunctandum exiſtimauit quin pugna decertaret: quoniam quicquid nouæ exiſtimationis audendo paulò antè collegiſſet, concepti timoris dedecore amiſſurus eſſe videbatur. Hac re ad concilium delata, vbi omnes idem ſentire intellexit, quia conſederant hoſtes ad Mictrium pagum haud longè à ſuis caſtris, poſterum diem pugnæ conſtituit. Prima luce acie inſtructa, quid hoſtes conſilij caperent, expectabat. Vbi eos caſtris ſeſe tenere Rex intellexit, atque ab expertiſſimo quoque procerum oppugnandorum caſtrorum conſilium improbaretur, pro caſtris ſuas copias produxit, vt ſi vellet Bedfordienſis prælio contendere, ei poteſtas non deeſſet. Vbi ne tum quidem

eum prodire intellexit, quoſdam leuioris armaturæ equites miſit qui eum ad pugnam elicerent. Eos Angli exceperunt: acriter ab vtriſque vſque ad veſperum pugnatū eſt: Solis occaſu vtrinque copiæ in caſtra reductæ. Aliquot deinceps diebus Carolus exercitum in aciem æquum in locum produxit, ſi Bedfordienſis prælio decertare vellet, vt penè caſtris Bedfordienſis cohortes ſubiiceret: tantúmque à vallo eius prima acies aberat, vt ne in eum telo tormentóue adigi poſſet. Bedfordienſis autem vt famam & opinionem hominum teneret, ſic pro caſtris exercitum conſtituebat, vt tertia acies vallum contingeret, omniſque eius inſtructus exercitus telis ex vallo obiectis protegi poſſet: variíſque ludificationibus fruſtrans,

tempus terebat, atque apparebat cunctando id quærere, vt conſeneſcente bello, impetus Francorum langueſceret. Per hunc modum leuibus commiſſis prælijs promotis caſtris, Lutetiam copias reduxit. Carolus interea pleraſque Franciæ vrbes in ſuam ditionem recipit. Cæterùm non ipſe modò obibat vrbes imperij iugum adhuc recuſantes, ſed præfecti quoque ipſius egregij duces pleraſque inuaſerant: Nothus enim Aurelius Compendium in deditionem redegerat: Bellouacos quoque Anglorum præcipuum receptaculum, ciuibus vltrò vocantibus ſtatuerat occupare. Sed Petrus Cauchonus Epiſcopus (quanquam is Rhemus eſſet) comprehenſis qui res ad Francos trahebant, vrbem in parti-

bus Anglorum cum modico præſidio militum retinuit. Præfecti Caroli in obſidione vrbis perſeuerabant, non tam ſuis viribus, quàm ipſorum qui obſidebantur voluntate. Nec fefellit opinio: namque inter Cauchonum & præfectos Anglorum orta ſeditio, irrumpendi in vrbem occaſionem dedit: cúmque porta effracta cohors Francorum intraſſet, oppidani olim conſilio deditionis agitato, ſeſe ſtatim dediderunt: Anglorumque præſidio capto atque interfecto, Cauchonus cum præfectis vinctus traditur. Haud longo pòſt interuallo Bedfordienſis auctus quatuor hominum millibus quos Cardinalis Anglus Henrici regis Anglorum patruus aduerſus Bohemos (quòd à Pontifice Romano defeciſſent) exi-

mnia pietate conſcripſiſſe videri volebat, copias Siluanectum verſus Franciæ oppidum, quà regi Compendium proficiſcenti iter faciendum erat, Lutetia eduxit. Eo accepto nuntio Carolus qui ad Baronem vicum à Siluanecto quatuor paſſuũ millibus diſtantem iam peruenerat, aliquot leuis armaturæ equites Ambroſio Deloro, & Santrailla ducibus, qui locum quem caſtris hoſtes metendis, ſignisque ſtatuendis cepiſſent ſpecularentur, miſit. Ij aliquantulum itineris emenſi ex ingenti nube pulueris hoſtium aduentum cognoſcunt: ac regi quod viderint per diſpoſitos equos renuntiari iubent. Rex ſuas copias in proximum collem, quem incolæ Montem pipiliolum vocant, (hic mons contemplations aliquando dictus eſt) ſubduxit,

aciémque inſtruxit. Hoſtes iter peragentes ad riuum quendam qui ex Siluanecto ad Baronem profluit peruenerũt: quem cùm tranſgredi conarentur, & via eſſet peranguſta, vix qua bini armati tranſire poſſent, Delorus equo admiſſo ad regem adcurrit, quo ſtatu res eſſent edocturus: hoſtes impeditos tranſitu fluminis prohiberi, ac concidi facilè poſſe. Rex quanta poteſt celeritate, inſtructa acie eò contẽdit, vt quod magnopere cupiebat, antequam totis agminibus in patentes campos ventum foret, cum primis Anglorũ copijs prælio decertaret. Verùm ea ſpe ipſe deiectus, quòd antequam eò peruenire potuiſſet, Bedfordienſis iam per anguſtias ſuas copias traduxiſſet: & quia diei pars exigua ſupererat, iámque in

occaſum Sol præceps ierat, de ducum ſententia prælium non commiſit: parua tantùm vtrinque ab equitibus prælia facta ſunt. Ea nocte rex cum copijs in monte Pipiliolo conſtitit: hoſtes verò in ripa fluminis à millibus paſſuum minus duobus castra poſuerunt & tota nocte vallo atque aggere ſumma diligentia ſeſe muniunt. Mox ſenſim in auroram abeuntibus tenebris, ad cohortandos ſuos rex contendit, quos magnis pollicitationibus erectos, ad conficiendum modico certamine bellum, & ad partæ iam victoriæ præmia capienda certæ ſpei & alacritatis plenus accendebat: commemorans ſuperiorum temporum iniurias & clades, quas Angli beneficio Fortunæ potiùs, atque iniquiſſimis temporum & loco-

rum conditionibus, quàm vera virtute Francis intuliſſent. Proinde in animum inducerent eam eſſe propriam atque expeditam rei gerendæ occaſionem, qua conſanguineorum & commilitonum ſuorum cædes vlciſcerentur. Milites crebrò dicentem interpellant: vniuerſi cohortantur magno ſit animo, neu dubitet prælium committere, & ſuam fidem virtutémque experiri. Carolus impetu animorum vtendum ratus, aciem inſtruxit. Primę aciei Alençonius & Vindocinenſis Comes pręficiuntur: media Renato Barrenſium & Lotharingiæ Duci data eſt: ipſe rex in tertia cum Borbonio & Trimolio conſtitit: vt quo res poſtularet, opem ferret: cornibus præerant Sanſeuerus & Raius tribuni militares. Alia quo-

que acies paulò remotiùs, ad incerta prælij Ioanna, Notho Aurelio, Alebreto, Hira ducibus collocata. Baliſtarios in certos numeros diſtributos ducebant Grauillæus & Ioannes Foucaldus Lemouicenſis. Hoſtium caſtra ab vtraque parte difficilem habebant oppugnationem: nam firmiſſimas munitiones Bedfordienſis tota nocte erexerat, locisque idoneis tormenta & perpetuas militum ſtationes impoſuerat. Terga palus limoſis & perpetuis aquis fœda & inaceſſibilis tegebat. Duces Frãci admirati loci iniquitatem, nequaquam temerè oppuganda caſtra cenſebant. Indignantes milites & ſignum prælij expoſcentes edocent non niſi magno detrimento, ſummáque virorum fortium clade expugnari locum tam

munitum poſſe: adeò tamen erecti erant omnium animi, vt ægrè ducum imperio ſub ſignis contineri potuerint quin in hoſteis facto impetu concurrerent: & quia natura Francis indita eſt pugnandi alacritas, plerique à ſignis dilapſi hoſtium caſtra excurſionibus fatigabant, atque in æqum vtriſque pugnandi locum hoſteis eliciebant. Illi primò impetum Francorum fortiter ſuſtinere: mox aucti nouis clientum militúmque ſubſidi s, eos longiùs propellere: porrò Franci ſuperuentu ſuorum pugnam inſtaurare. Poſtremò cùm Fortuna ſæpius modò his, modò illis victoriæ ſpem oſtendiſſet, interuentu noctis, & pulueris nube, quæ vento equorúmque calcibus agitata oculos pugnantium adeò infeſtabat, vt vix anterior

pars equorum à ſeſſoribus cerneretur, prælium diremptum eſt. Eo ardentis pugnæ ſpectaculo Trimolium in certamen illectum, atque pertractum ferunt: qui equi lapſu præcipitatus, ac mox per tumultum à ſuis in equum illatus, ægrè è manibus hoſtium vulneratus effugit. Sequenti die Bedfordienſis Lutetitiam reuertitur. Rex verò cum exercitu rectà Compendium Picardiæ oppidum contendit: atque illic non paucos commoratus dies, ſpe recipiendæ Lutetiæ Siluanectum rediit. Bedfordienſis autem veritus ne ille ad recipiendam Normaniam proficiſci vellet, Ludouico Luxemburgo Morinorum Epiſcopo Francici iuris præfecto Ioanne Racheto, ac Symone Morchior cum duobns Anglorum millibus ad tute-

lam

Iam Lutetiæ relictis, magna coacta manu eò proficiſcitur: tanta enim totius Galliæ voluntatis commutatio facta erat, vt præter paucas admodum ciuitates nulla iam eſſet non ſuſpecta Anglis. Idque adeò haud ſcio mirandúmne ſit cùm compluribus alijs de cauſis, tum maximè quòd qui virtute belli omnibus gentibus præferebantur, tantùm ſe eius opinionis perdidiſſe, vt Anglorum imperia perferrent, grauiſſimè dolerent. Carolus cognito Bedfordienſis diſceſſu, ad Dionyſij Pariſiorum cum exercitu venit: pleríque enim eum frequentibus literis euocarant, pollicitíque fuerant ſi in conſpectum Lutetiæ cum exercitu veniret, arma capturos: atque occupatis repentè portis aduenientem in vrbem eſſe recepturos.

Itaque Ioanna adiunctis ſibi Alençonio, Borbonio, Vindocinenſi, Vallenſi, Sanſeuero, Raio, Hira & pleríſque alijs præfectis copias in conſpectum vrbis Pariſiorum adduxit, eo potiùs conſilio vt quidnam propoſiti de tradenda vrbe Pariſini haberent accedendo certiùs exploraret, quàm vt vrbem oppugnare adoriretur, quæ ſine iuſto tormentorum apparatu capi minimè poſſe videbatur. Verùm cùm Angli ad primum ſtatim Francorum conſpectum impigrè arma cepiſſent, & ſub ſignis tota vrbe diſcurrerent, nemo omnium fuit qui ſit auſus quicquam aduerſus Anglos apertè moliri, vel omnino vocem emittere, qua populus ad arma vocaretur: accidit enim plerúmque vt homines ea conſilia quæ alacri motu, ſummóque

animi vigore ante diſcrimẽ inierint, ea demũ in præſenti periculo, cùm facto maximè opus eſt, timidiſſimè reformident. Francorum duces locorum ſitum ac ſtationes hoſtium ſpeculati, haud longè à porta diui Honorati conſidunt: ac mox Ioanna vti erat in prouidendis perficiendíſque rebus ingenij maximè præſtantis, & celeritatis eximiæ, propugnaculum & repagulum Anglorum iuſſit oppugnari. Nec mora, Francis ſtrenuè irrumpentibus, priuſquam ſubſidium ex vrbe venire poſſet, deiecto præſidio, loco noſtri potiuntur. Ea res Anglorum animos magnoperè conterruit, quòd ab nouo hoſte primo ſtatim aduentu, in oculis ipſorum priùs confecta res fuerat, quàm ab vrbe prouideri ſuccuríque potuerit. Pòſt

autem paulò Ioanna cùm in foſſam intrepidè deſcenderet, cæteróſque vt neceſſaria ad eam complendam adferrent hortaretur, ſagitta in crure icta eſt, qua auulſa plurimus ſanguis manare cœpit: omnibus territis, quia non quàm latè penetraſſet telum, cognouerant. Ipſa ne oris quidem colore mutato ſupprimi ſanguinem, & vulnus obligari iuſſit. Diu ante ipſa ſigna vel diſſimulato, vel victo dolore perſtiterat, cùm ſuppreſſus paulò antè ſanguis, medicamento quo retentus erat, manare latiùs cœpit, & vulnus (quod recens adhuc dolorem non mouerat) frigente ſangnine intumuit Linqui deinde animo, & ſubmitti genu cœpit, quam proximi exceptam in caſtra receperunt: Alençonius verò ob id commotus, receptui

cani iuſſit. Inerat in Ioannæ animo fiducia quædam fato potiùs, quàm vllis humanis innixa rationibus: adeò vt cuncta quæ aliorum animis obuerſabantur pericula deſpiceret, ac ſi non modò Pariſinos ciues, ſed & Deos quoque ipſos præſenti numine adfuturos arbitraretur. Nec ſpes quanquam temerè concepta, rem extremæ difficultatis aggredi auſam fefelliſſet, ſi tantum virium, quantùm ſpei atque animorum in eam expeditionem attuliſſent Franci. Nec ita multò pòſt Carolus præſidio ad fanum Dionyſij relicto cùm ad recipiendas alias Franciæ vrbes expeditionem pararet Philippus Burgundionum Dux qui tum in Burgundia longè gentium agebat, certior factus quo in diſcrimine res Anglicæ-

verſarentur, nihil prius potiuſve habuit, quàm vt Lutetiam primo quoque tempore aduolaret: veritus (vt tum res erant) ne ſi cunctantiùs ageret, defectionis contagium latiùs propagaretur. Conſilium verò ſuis rebus opportunum magis, quàm Francicis in hunc modum inijt. Cum Rege per Charinæum paciſcitur in Regis poteſtatem Lutetiam ſe redacturum, ſi fide publica liceat per Franciam exiguo comitatu Lutetiam, ac deinde in Flandriam penetrare: ac ita Regij nominis præſidio fultus, non minore ipſius exiſtimationis, quàm Francicæ Reip. diſpendio Lutetiam venit: nouúmque fœdus cum Bedfordienſi percutit: atque in hunc modum compoſitis rebus, in Picardiam ac Flandriam ſe proripuit, nulla interim

Lutetiæ vrbis habita mentione. Carolus porrò ſibi factum fucum ſeriò, ſed fruſtrà conqueſtus, qui ſemper ad gloriam virtutis via, non fraudis Compendio graſſabatur, de ducum conſilio Bituriges conceſſit. Lutetiam vrbem Ioannes Villerius anno 1418. 4. Calen. Iunij proditione vnius portæ, noctu magna manu ingreſſus cum Carolo ſexto Rege, ac aula omni Burgundionis arbitrij fecerat, ægrè elapſo Carolo Delphino: ac deinde Burgundio eam Anglorum Regi tradiderat. Poſt paucos deinde annos inter Anglum & Burgundionem ſocios antea aduerſus Carolum, aſſiduum inter pares diſcordia malum, bellum cùm mouiſſet, ac pacta apud Atrebatium vrbem ſocietate coniunctis exercitibus Carolus &

Burgundio bellum aduerſus Anglum cùm ſuſcepiſſent, Pariſini initis cum Arthuro Francorum equitum Magiſtro conſilijs, certo die præſidiarios Anglos palantes, inermes, & ſine imperio aggrediuntur. Idem plebs facit: pars edocti à nobilitate, alij ſtudio talium rerum incitati, queis acta conſiliúmque ignorantibus, tumultus ipſe, & res nouæ ſatis placebant. Angli milites perculſi improuiſo metu incerti, ignaríque quid potiſſimum facerent, trepidare: præſidium Francorum, & portæ ab Arthuro occupatæ fugam prohibebant: ad hæc mulieres puerique pro tectis ædificiorum ſaxa, & alia quæ locus præbebat, certatim mittere: ita neque caueri anceps malum, neque à fortiſſimis infirmiſſimo generi reſiſti poſſe: iuxta boni

malíque,ſtrenui & imbelles multi obtruncari. In ea tanta aſperitate ſæuiſſimis Pariſinis, & oppido vndique clauſo, qui ex hac peſte ſe rapere potuêre, in molem Antonianam conceſſere: pactíque incolumitatem, inde ſine fraude dimiſſi. Ita vrbs Regia ad priſtinum redijt imperium poſt annos octodecim, quàm in Anglorum poteſtatem venerat: qui fuit annus ſalutis 1436. Cæterùm Ioanna virago Lotharinga dum in Compendij obſidione ex vrbe erumpit, ab hoſtibus comprehenſa, ac Rothomagi ad palum damnata, viua exuritur, non abſque ſempiterno Anglici nominis probro, qui ſe magicis artibus Francia profugere falsò querebantur. Eius ſtatua Aureliæ viſitur in ponte ad Ligerim, ſeruatæ à virgine vrbis monu-

mentum. Tandem circiter annum ſalutis humanæ 1452. cùm Franciæ, Normaniæ, Aquitaniæque defectione Anglica res ad vnam Burdegalam recidiſſet, atque eo loco Franci cum hoſte collatis ſignis prælium commiſiſſent, tam atroci certamine conflictum eſt vtrinque, vt Angli non incruentam Francis victoriam relinquentes, in Angliam amiſſis rebus ciſmarinis Somerſetenſi & Eboracenſi ducibus ſe fuga proripuerint, ac Franciæ finibus exceſſerint. Quorum aduentus in Franciam quàm terribilis, tam turpis ac fœdus diſceſſus fuit: nam ſicuti ab initio diſiunctis atque inermibus hominibus maximum negotium fecerunt, ita ſucceſſu belli cùm depræhenſæ artes, & collatæ in vnum ſunt vires, Francorum

tantùm diſſenſionibus, validos impetus eos habuiſſe conſtitit: vel ob id quòd Francia demum priſtini atque inſani pertæſa erroris, dum ſera propè concordia conſentit, quòd libertati omnium imminebat diſcrimen, reparata militia, poſitíſque odijs, haud longo labore depulerit. Dignum verò memoratu eſt quod de Anglo duce quodam proditur: cùm rebus ciſmarinis amiſſis ſe in Angliam poſt varia bella Anglorum exercitus reciperet à Francis per iocum rogatus, quando eſſent in Franciam Angli reuerſuri, ac bellum illaturi; quando (inquit) veſtra ſcelera noſtris præponderauerint: rectè ſenſit vitæ præpoſteræ, ac ſcelerum vlciſcendorum cauſa inferri diuinitus bella: nec fruſtrà appellari in literis Hebræorum do-

minum exercituum, cuius nutu adminiſtrantur bella, & victoriæ in vtram iuſſerit partem inclinant.

FINIS.

INNOCENTIA ET FORTITVDO PVELLÆ

PLVRIMIS GRAVIBVS teſtimonijs comprobata, contra hoſtiles calumnias Petri Cauchonij Epiſcopi & Ducis Betfordienſis Anglorum præfecti; huic hiſtoriæ adjectum ſupplementum.

SIC Ioannæ hoſtes inuidia odióque vehementiùs accenſi, & multâ ignominiæ labe affecti, bellicam eius virtutem vltrò magicis artibus tri-

buerunt, damnarúntque inſontem igneo ſupplicio; Sequuti conſilium Petri Cauchonij Epiſcopi Bellouacenſis, non ſine magno Gallorum omnium luctu. Vnde conſtitit ipſum Cauchonium, ob tanti ſceleris immanitatem, fuiſſe paulò poſt generali Eccleſiæ ſententia exauthoratum per Calixtum Pontificem maximum. Ioannæ gloria interim ſeſe immortaliter propagante ad poſteros, manifeſto cum pudore ac probro perpetuo Anglici nominis. Hîc autem operæpretium fuerit ſubiungere deinceps grauiſſimorum ſcriptorum teſtimonia, quorum fide Puellæ ipſius integritas atque Innocentia palam innoteſcat ſeculis omnibus comprobata. Enimvero hactenus defenſa ritè firmatáque

eſt integerrimæ Virginis tum caſtitas, tum ſanctitas fidelibus grauiſſimorum authorum præcipuè Theologorum teſtimonijs, Hiſtoricorum varijs monumentis, aliorúmque ſcriptis innumeris & ſummorum Pontificum decretis, cœleſtem illius virtutem paſſim celebrantibus: non ſolùm in Gallia, ſed etiam per omnes Chriſtiani orbis prouincias.

TESTIMONIVM I.

IAcobus Meyerus Belga hiſtoricus hiſce verbis rei fidem ſic breuiter perſtringit. *Anno Domini* (ait) 1431. *ac tertio Calendas Iulij Rothomagi in veteri foro cremata igni eſt Ioanna puella: ob nullam quidem iuſtam cauſam, ſed ſolum per odium An-*

glorum. Auſus eſt Petrus Cauchon Anglus genere, & Bellouacorum Epiſcopus in gratiam Bethfordij rectoris Galliæ innocentem virginem morti adjudicare. Eccleſia Rothomagenſis Epiſcopo tunc carebat. Puella nullum patronum, nullum aduocatum habebat. Itaque ſimplicem atque illiteratam virginem varijs interrogationibus de fide Catholica fatigabant, vti videlicet illaquearent vel circumuenirent illam aliquo in lapſu: Quibus tamen reſpondebat valde ſapienter & Catholicè. Et quamquam famam ſpargerent, illam magam eſſe & maleficam, nihil tamen tale potuit in ea deprehendi. Sed illud in crimen vocabant, quod virili vteretur veſte: quod tamen facilè purgauit, quòd nunquam vſa eſſet eo amictu, niſi ſolum in rebus bellicis: quemadmodum illa præceptum

ſibi dicebat diuinitus. Nemo autem aſſeſſorum omnium tum hiſcere auſus eſt in iudicio contra Anglorum voluntatem, niſi Ioannes quidam Magiſtri Inquiſitor fidei, qui ſcrupulo conſcientiæ impulſus ſapienter à cæterorum conſeſſu abſtinuit. Sic verò periit vindex Galliarum. Cineres autem crematæ virginis ſparſerunt in flumen: Nec vnquam ex ea die Angli victoriam vllam inſignem retulerunt ex Gallis. Hæc Meyerus.

TESTIMONIVM II.

ÆNeas Syluius vir maximi nominis & Pontificiam dignitatem poſtea meritò adeptus, hæc etiam de Ioanna fideliter memorat. *In regno Franciæ* (inquit) *noſtra ætate, virgo Lotharingenſis diuinitus (vt*

credunt) admonita virilibus indumentis & armis induta Gallicas ducens acies, ex Anglorum manibus magna ex parte (mirabile dictu) prima inter primos pugnans victoriam eripuit.

TESTIMONIVM III.

D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. *Tunc obtulit ſe Regi Franciæ quædam Puella filia ruſtici aßueta paſcere gregem, dicens ſe miſſam ad iuuandum exercitum eius, ætate octodecim annorum vel circa, quæ milites in multis inſtruebat, in bellando & ciuitates capiendo. Hæc equitabat aptè, vt miles in exercitum ibat, cum eis inſidias inimicorum detegebat, & modum ad capiendas ciuitates docebat: & multa alia admiratione digna agebat.*

Quo autem Spiritu ducta vix ſciebatur, credebatur magis Spiritu Dei, & hoc ex operibus ſuis; nihil enim inhoneſtum in ea videbatur, nihil ſuperſtitioſum, in nullo à veritate fidei diſcrepabat. Sacramenta Confeſſionis & Communionis frequentabat & orationes. Et poſt multas victorias Regis Franciæ capta ab hoſtibus occiſa eſt.

TESTIMONIVM IV.

PAulus Iouius Nouocomenſis Epiſcopus Nucerinus in Britanniæ deſcriptione. *His tantis virtutibus vna caſtrenſis gloria deerat, concepta iam animo ingenti adauctáque Anglorum ſtudia, quæ ſua conſuetudine bella, prælia tranquillitati atque otio præferebant, odio ſcilicet illo in Gallos à majoribus tradito deflagrantes; à*

quibus ſe Galliæ regno & tota ferè continente pulſos indignabantur, & quod ignominiæ nomine in fortibus viris iras accendebat, Puella præſertim duce, quæ miraculo quodam excitatis Gallorum animis, fœlici auſu ſuperiores victorias atque illa decora Anglicæ virtutis trophæa penitus euertiſſet.

TESTIMONIVM V.

IAcobus Philippus Bergomenſis Ordinis Eremitarum D. Auguſtini in lib. de claris mulieribus. *Ioanna virgo Gallica Lotharingenſis circa annum ſalutis noſtræ* M. CCCC. XXIX. *in puellari adoleſcentulâque ætate diuinitus (vt creditur) ad multa facinora obeunda præelecta in metropoli Rothomagenſis ciuitatis, cum quartum & vigeſimum tantummodò ageret*

annum in ſummâ caſtitate deceßit igne cremata. Hæc obſcuris & humilibus parentibus cum procreata eſſet, nihilominus in tota vita inuicti animi princeps extitit victorioſa. Cum à principio magnam ætatis ſuæ partem inter pecora egiſſet: vbi cum ſuis ſodalibus, cum quibus paſcendo pecora obuerſabatur, ſæpius curſum exercebat, & aliquando currendo haſtam vt fortis eques manu capiebat, &c. Per omnem vitam ſuam illibatam ſeruauit virginitatem & religionis apprimè cuſtos extitit, eius ſermonem ſani mores plurimum honeſtabant, &c. Ea tempeſtate Henricus Anglorum Rex Aurelianam vrbem ſumma vi oppugnabat, nec aditus oſtendebatur quo poſſet obſeßio ſolui. In hac ergo difficultate Rex Francorum Carolus eius nominis ſeptimus conſtitutus & angore ani-

mi incertus quod conſilium ſequeretur, rationem nullam inire poterat. Tum hanc virginem, dum hæc agerentur, contigit paſcendo pecora in ſacello quodam viliſsimo ad declinandam pluuiam obdormire: quo in tempore viſa eſt ſe inſomnis à Deo, qui ſe illi oſtenderat, admoneri: túmque ſextum & decimum tantummodo agebat annum. Qua admonitione permota, confeſtim grege omiſſo quem paſcebat, in caſtra ad Regem eſt profecta. Cum ad eius tentorium perueniſſet, præfata eſt velle ſe de rebus maximis cum Rege loqui, quod prædicaret, ſe diuinitus à Deo miſſam. Primores aſpernabantur Puellam, eamque duris verbis aſperè increpabant, quod tam audax & temeraria eſſet, vt tantum Regem ſtulta & ſubruſtica adire & alloqui præſumeret. Illa nihilominus à Deo

onfortata & impulſa in propoſito perſeuerans, inſtanter expoſtulabat ad Regem ingredi liceret, cum ſe magna & ſeria ſibi afferre diceret. Introducta autem ad Regem cum ad ipſius genua procidiſſet, Majeſtatem Regiam ex more omni cum reuerentia ſalutauit, eóque ſalutato ſic locuta eſt. Glorioſiſſime Rex, ego ancilla tua minima, omiſſa mei gregis cuſtodia, omnipotentis Dei imperio ad opem tibi ferendam, qua regnum tuum amiſſum recuperes huc impigrè acceſſi, diuinóque iuſſu ducem totius tui exercitûs moneo me declarari iubeas. Nec mireris quod Puella inops & agreſtis huc prodierim, auſáque fuerim tantum imperium ſuſcipere; quia omnipotenti ſic viſum eſt, infirma, & contemptibilia eligere vt fortia confundat. At Rex horum verborum grauitatem ſecum reuo-

luens, eum ceteróſque proceres admiratio obſtupefecit, &c. Poſtquam verò cum Rege ſummotis arbitris locuta eſt, Rex prope ſtupefactus è veſtigio illam totius ſui exercitus ducem enuntiauit cunctis acclamantibus. Et paulo poſt, *Res prope incredibilis & inaudita, ſi animaduerteris tot Principes Regémque ipſum in bellis exercitatiſſimos ſeſe imperio adoleſcentulæ ſubijcere; videre eam virilibus indumentis & armis indutam Gallicas ducere acies, &c. Cum parte copiarum terreſtri itinere equo inuecta contendit ad Aurelianam vrbem obſidione ſoluendam & cum ad hoſtem perueniſſet, extemplo manum ſumma vi conſeruit. In prælio Dux totius hoſtilis exercitûs cum decem millibus Anglorum è veſtigio fuit interfectus, & trium horarum ſpatio tria hoſtilia recepit munitiſſima*
propu-

propugnacula. Quo viſo Rex ſuum exercitum ad liberandum Vrbem admouit; atque ita intra quatriduum ipſa ciuitas, hoſte pulſo, cum maxima huius adoleſcentulæ gloria, obſidione liberata eſt: quod potius diuinum quàm humanum factum omnes crediderunt, &c. Quibus geſtis Regem Carolum ouantem Rhemos perducens à proceribus conſecratus eſt Rex, quod antea minus facere poterat, &c. Hæc igitur Ioanna Virgo cum magnam gloriam in armis eſſet adepta & regnum Francorum magna ex parte deperditum, è manibus Anglorum pugnando eripuiſſet, in ſua florenti ætate conſtituta non ſolum ſe morituram, ſed & genus ſuæ mortis cunctis prædixit. Nam ab ipſis Anglis tandem in prælio capta & ad Rothomagenſem Vrbem violenter perducta, ibidem ab ipſis

& ipſorum Rege veneficij & artis magicæ vitio incuſata ſæuiſsima ignis morte demum damnata eſt. Et hic tantæ Virginis vitæ finis fuit : quo quidem atrociſsimo ſupplicio, hæc tam inauditæ virtutis mulier indignè occiſa eſt. Poſt multos autem annos Carolus optimus Rex Rothomagenſium vrbe recepta eo in loco vbi atrociter concremata fuerat Ioanna Puella pro monumento & titulo puellaris decoris crucem æneam & quidem eminentiſsimam inauratámque poni iuſsit. Ludouicus autem Rex poſtea patri ſuccedens ægrè admodum ferens mortem tam indignam tantæ viraginis à Pio Pontifice Romano eius nominis ſecundo impetraſſe fertur, vt duos Iuriſperitos in Galliam mitteret ; qui iterato diligentius illius cauſam & vitam cognoſcerent. Qui vbi in Galliam

perueniſſent, duos ex falſis Conſiliarijs & Iudicibus ſuperſtites ad ſe citarunt. Qui poſtquam cauſam huiuſmodi accuratè omnem cognouiſſent, deprehenderunt planè mulierem innocenteſſimam falsò fuiſſe damnatam, ac omnia conficta contra ipſam extitiſſe quæ videlicet de veneficio aut arte magicâ aduerſus illam crimina dicta fuerant. Quinimo omnem eius vitam tam præclarè geſtis ita æqualiter conſenſiſſe, nec quidpiam ab ea vnquam admiſſum, quod religionem vlla ex parte violare potuiſſet, &c.

TESTIMONIVM VI.

ROBERTUS Gaguinus Ordinis S. Trinitatis Miniſter Generalis in Hiſtoria. *Erat iſtis diebus apud Vallicolorem annos viginti nata Ioanna, quæ patre*

Iacobo Darco, matre Iſabella in vico Dampremo genita, ob corporis perpetuam integritatem Puellæ appellationem obtinuit. Ea rerum præſentium aduerſitatibus Deo authore compatiens, Robertum Baudricurtum oppidi Præfectum, alióſque complures præſidij equites duce auunculo ſuo crebro adibat; eos admonens, vt ad Carolum eam deducerent allaturam rebus deſperatis non minimam opem. Mulierem Baudricurtus parui à ſe æſtimatam iterum atque iterum aſpernatus perſeuerantem demum exaudiuit: datíſque Puellæ corporis cuſtodibus ad Regem duci iubet. Ad Carolum veniens Puella tametſi nullo illum tempore vidiſſet, ipſéque cæteris aulicis veſte minus ornatus ex induſtria eſſet, reuerenter tamen atque vrbanè Regem intuita; Salue, inquit, *generoſiſſime Rex, det-*

que vitam tibi proſperam Deus. Cui cum ſe Regem eſſe Carolus pernegaſſet: Ah! inquit Puella, tu ipſe Rex es Francorum nobiliſſimus. Ad hæc verba ſpem cœpit Rex cuiuſpiam fortunæ melioris. Itaque ſelectis prudentibus aliquot viris, qui eam diligentiùs probarent, illa ſe à Deo veniſſe conſtanter affirmat, vt Carolum in regnum reſtituat; Deum ita decreuiſſe, vt ſe duce Aurelianenſes obſidione liberentur, & Angli Franciâ tandem extrudantur. Perducturam ſe Carolum ad Rhemos, vbi more maiorum ſacra vnctione linatur; de quibus omnibus oracula diuinitus accepiſſet; tantum copijs opus eſſe, quas illi ducendas Carolus committat. Et dum de alijs arduis & ad religionem Chriſtianam pertinentibus multa accuratè rogaretur, ſupra fœminæ ſenſum

reſpondebat. Siue enim de diuinitate, ſiue de bello quæreretur, non muliebriter ſed ſcitè & quaſi perita loquebatur; ita vt mulier admirationi eſſet multis. Perpenſo igitur conſilio, viſum eſt optimum factu eſſe, ſi auſpicio eius Carolus ad bellum vteretur. De importando Aureliam commeatu primum mandatum Puella accepit, quam Raius & Delorus aureæ militiæ equites valida armatornm manu ſtipati comitabantur, &c. Puella verò per medios hoſtes flumine traiecto, quem vehebat commeatum in vrbem importauit. Victualibus ciuitate confortatâ, Ioanna armis egregiè inſtructa ad propugnaculum, quod S. Lupi appellabatur, mouens Anglos, qui in eo erant, potenter oppugnat atque vincit, nemine ſuperſtite qui vel occiſus, vel captus non fuerit, &c. Menſe Iunio

inſequentis anni, qui fuit Chriſtianæ gratiæ quadringenteſ. vigeſ. nonus ſupra mille, Ioanna puella Carolum conueniens; Iam, inquit, *Sereniſſime Rex, hoſte ſuperior eſſe incipis. Multas vrbes atq; arces ex Anglis ereptas tibi audientes videmus: nunc tuæ conſecrationis tempus aduenit; dignationis placet ad Rhemos proficiſcaris, vbi more maiorū ſacra vnctione delibutus diadema ſuſcipias. Quâ vnâ re venerabilius Franco populo tuum nomen erit, & hoſti formidabile. Nihil te perterreat, quod Campania & reliquæ fere Belgæ omnes ab hoſte tenentur, viam tibi propitiatore Deo parabimus; tantum copias contrahe & Dei decretum exequamur. Hæc Ioannæ verba ſpem omnibus magnam faciebant: propterea quod vitæ puritate puella præ ſe ferebat ſanctitatem, & nihil muliebriter agebat aut loqueba-*

tur. Enimuero ſacerdotali confeſſione quaque ferè hebdomade conſcientiam purgabat, & diuinam Euchariſtiam deſumebat. Igitur collecto apud Gien non mediocri exercitu, Carolus Rhemos per Campaniam petere conſtituit, præmiſſa cum aliquot præfectis Ioanna puella, qui obſtantem fortè hoſtem impedirent, &c. Inde Rhemos, qui Anglo parebant, adoritur, quos nulla vi recepit, lætis proculdubio ciuibus ſuum Regem excipere. Itaque Carolus coronatus eſt à Reginaldo Chartenſi Rhemorum Antiſtite, aßiſtente Puellâ, quæ militare vexillum manu gerebat; nimirum exultans, quod ſe vnâ hortante Carolus regni diadema & ſacram vnctionem loco celebri atque huiuſmodi ſacris multos per annos ad id muneris deſignato recepiſſet, &c. His diebus Puella

cum Latiniacum acceſsiſſet, cognito quod quadringenti ex Anglorum copijs non procul à Latiniaco in Franciam contenderent; aſſumpto Foucando, & alijs ex Latiniaci præſidio hoſtem adoritur, omnes ad vnum necans. Sed non multis poſt diebus diſsimilis apud Compendium fortuna illi fuit. Nam Anglis Burgundionibúſque in Compendij obſidione ſedentibus, Ioanna ſubſidium obſeſsis ferens, cùm oppidum ingreſſa eſſet, & paulo poſt eruptione in hoſtem factâ res non proſperè ſibi ſuccederet; dum oppidum repetit, capitur à Ioanne Luxemburgo, qui eam Anglis venundedit; à quibus hoſtiliter habitâ Rothomagi cremata eſt odio videlicet nominis Franci, & quod virili veſte fœmina vſa eſſet. Prius tamen quàm ſententiam diceret hoſtis, frequenti foro & crebris

conſultationibus Puellam tentat, de fide atque religione Chriſti multa ſcrutatus. Arbitrabatur enim mulierem magia aliqua edoctam à Carolo Rege aſſumptam eſſe; & propterea à Catholica veritate aberraſſe, indignúmque eſſe cui regnum deberetur. Sed ſupra fœminæ vires fuit: pluribus cum hoſte (vt eſt nonnullorum mos) per aſſentationem ſentientibus prævalere; quanquam ſe, & quæque geſſiſſet, Apoſtolicæ ſedis examini permitteret.

TESTIMONIVM VII.

PAulus Æmilius Veronenſis lib. 10. de rebus geſtis Francorum. *Ioanna Lotharinga Puella duodeviginti circiter annos nata ſub patre oues paſcere ſolita, ad Regem ducitur, prædicans ſe*

mente diuinitus admonitam venire, profiterique ſe Anglos Franciâ exacturam. Mirabundo Rege, multiplici percontatione procerum verſata, ſemper ſibi conſtitit, nullúmque ei verbum niſi pudicum ſanctúmque excidit. Conſilio Ducum ſanctorúmque non aſpernanda res viſa; militari ergo habitu, accepto ab Rege exercitu, ducibúſque traiecto flumine, obſeſſis per intermiſſas hoſtium munitiones ſeptimum iam menſem clauſis auxilia commeatúſque intulit, crebríſque eruptionibus obſidionem ſoluit, circunferendóque bello varijs Ducum conatibus circumiecta oppida quæ hoſtis occuparat, recepit, leuibus prælijs, quæ tamen in ſummam vniuerſæ rei ſpem proficerent, Anglo fatigato. Ad tria hoſtium millia in Belſia cæſa, anno huius ſeculi vndetriceſimo. Nec fortunæ

ſe offerenti defuit Francus Rex; vtque auguſtior ſuis, hoſti formidoloſior foret, authore ac duce Puella Rhemos ad ſacrum chriſma regnique inſignia ſuſcipienda profectus, &c. Ac paulò poſt. *Longè alium fortunam nacta eſt Ioanna, quàm qua Aureliam ſeruarat. In oppidum quidem irrupit, ſed eruptione facta poſtea in poteſtatem hoſtium venit. Rothomagum ducta ab Anglis ſuperſtitionis falſæque religionis inſimulata, igne cremata eſt, hoſte iudice, nemine eo loco pro captiuâ contra hiſcere auſo. Aurelianenſes Puellæ ſtatuam poſuere. Eam ſummis laudibus efferunt & admirantur Pius Pontifex maximus & Antoninus Florentinus Pontifex.*

TESTIMONIVM VIII.

POlydorus Virgilius lib. 23. Anglicæ Hiſtoriæ. *Dum pacificatorijs legationibus Aurelianenſes cum hoſte agunt, Carolus copias vndique arceſſendas, Principes Anglos ab Anglorum amicitia omnibus pollicitationibus alienandos curabat. Item commeatum quem ad obſeſſos Aurelianenſes mittere ſtudio parabat, cum ad eum puella quædam nomine Ioanna viginti circiter annos nata ducitur. Hæc ob ſeruatam virginitatem Puella dicta, & ſingulari prædita anima ac fatidica cum ad Carolum adiuiſſet, eum primo veſtitu regalem perſonam diſsimulantem internouiſſe; deinde ita ſalutaſſe fertur: Bono Rex animo eſto, atque mitte timorem, vinces enim & me duce*

patriámque tandem in libertatem priſtinam vindicabis, ſi non maieſtate indignum arbitrabere fœminæ opera vti. Carolus, qui rebus ſuis iam affectis valde timebat, facile dictis credidit: in ſpem bonam omnino ingreſſus, vt qui iam tum aliquid diuinitatis in mente Puellæ ſibi perſuadebat ineſſe, ex eo quod veſtitu non Regio indutus ab ea fuiſſet Rex ſalutatus. Sed aliud fuit quamobrem in eam ſpem venerit: Puella enim petiјt gladium quem diuinitus, vti aiebat, erat facta certior in templo D. Catharinæ in Turonib. inter antiqua donaria pendere. Miratus Carolus gladium inquiri, ac inuentum protinus Puellæ afferri iuſsit, & periculi potius eius virtutis faciundi cauſa, quàm quòd magnopere confideret facinus aliquod egregium à fœmina edi poſſe, armatorum manum

cum parte commeatûs attribuit, vt obſeſſos ſubleuatum iret. Puella ita armata dux agminis Aurelianum proficiſcitur: ac ſiue fruſtrata cuſtodes ſiue numine diuino tecta, noctis ſilentio inter tela hoſtium in vrbem intrauit, cibariáque intulit, ſine vllo ſuorum incommodo. Angli interea qui certum habebant ciues ob rei frumentariæ inopiam non poſſe diutius obſidionem ferre, remiſſius ſolito vrgebant, negligentiúſque excubias ducebant: ſed vbi cognouerunt Ioannam Puellam commeatum ſupportaſſe, & ſi contemptui habebant fœminam, quæ militaria munera obiret, tamen ob miſſum ſubſidium irâ accenſi, acrius multò hoſtem premendum ſtatuunt. Itaque duces ſuos cohortati vt aliquando pro tantis laboribus fructum victoriæ caperent, iis qui

primi in murum aſcendiſſent, præmia proponunt. Quâ re pronuntiata ſubitò ex omnibus partibus euolant, murúmque complent ſimul tormentis, ſimul telis hoſtes à defenſione murorum arcentes, &c. Sententiam latam in Ioannam viſam profectò fuiſſe poſt homines natos duriſſimam, quæ neque molliri neque mitigari tempore potuit. Sanè fœmina pro patria ad virilia decora excitata, digna fauore videbatur, cum præſertim permulta extarent parcendi, & illud potiſſimum à Porſena Hetruſcorum Rege editum. Is enim compoſita cum Romanis pace, cum obſides accepiſſet, & in ijs Clæliam Virginem, & illa dux agminis aliarum Virginum fruſtrata cuſtodes inter tela hoſtium Tyberim tranaſſet ad ſuóſque confugiſſet, ac inde ex fœdere reſtituta

fuiſſet, non affecit virginem pœna, ſed collaudatam & parte obſidum donauit & domum remiſit.

TESTIMONIVM IX.

PApirius Maſſonus Annalium lib. 4. in Hiſtoria regni Caroli VII. *Ioanna Puella annorum non amplius octodecim ad erigendos Francorum animos opportunè adfuit. Hæc ex oppidulo cui Remigio nomen in agro Tullenſi apud Leucos nata, patre Iacobo Darcio agricola, matre Iſabella, probis & honeſtis moribus paſcere paternas oues ſolita ad Carolum venit prædicans ſe à Deo miſſam, vt Aureliam obſidione liberaret, vtque eum Rhemos ad ſacram inaugurationem perduceret. Hæc dicenti fides non prius habita quam interrogata à com-*

pluribus Theologis ſanctiſsmè reſpondit. Tum ire Aureliam cum exercitu ad commeatum in eam importandum permiſſa eſt. Armis fulgens ſignum militare tulit candidi coloris, in quo ſpectabatur CHRISTI *imago lilium manu geſtantis, atque intrepidè ſpectantibus hoſtium copijs vrbem ingreſſa eſt: nec mora, Anglos prius vt ab obſidione recederent monitos nec obſequentes 6. Calend. Iun.* 1429. *circa auroram adoritur, ciuibus illa duce quoduis periculum ſubire paratiſsimis. In ipſo ardore pugnæ ſagittæ ictu grauiter collum inter atque humeros ſauciata neque pedem retulit, neque vulnus obligari paſſa eſt, quin acerrimè prælians & mixta fortibus viris magnum ad victoriam momentum attulit. Angli victi. Aurelia liberata. Hoc primum Puellæ egregium*

facinus facit, cuius rei teſtem habeo Ioannem Comitem Dunenſem. Is annos natus vnum & quinquaginta iubente Caliſto Pontifice interrogatus de rebus à Puella geſtis Aureliæ, quæ hactenus dicta ſunt, productus dixit, eiuſque depoſitionem ex armario Eccleſiæ Pariſienſis, vbi adhuc ſeruatur, exſcribere placuit. Idémque teſtis ſuper eius pudicitia interrogatus, reſpondit, nullum à quoquam niſi caſtæ, pudicæ, modeſtæque virginis ſignum in ea deprehenſum; idémque adfirmauere alij magno numero producti teſtes idonei atque omni exiſtimatione maiores. Quo magis miror poſt tot annos Ioannæ cineres impudicitiæ argui, quos grauiſſimi ſcriptores laudant Alanus, qui Gallico ſermone res geſtas Caroli VII. memoriæ mandauit, Antoninus Pontifex Florentinus, Gerſo

inſignis Theologus, Æneas Syluius, Fulgoſus lib. 3. Benedictus Curtius in Mediolanenſi Hiſtòria, Laonicus Calcondilas lib. II. de reb. Turcicis: cuius nolo locum illum præterire. Erat mulier forma haut illiberali, quæ dicebat ſibi cum Deo eſſe colloquium: hæc regebat Gallos qui ipſam ſequebantur, militiæque dux erat. De Maria Puteolana ſui temporis forti & ſpectata bello virgine Petrarcha elegantem epiſtolam ſcribit, quam qui legerint mirabuntur tantum in re militari virginis decus ac multo magis Ioannam laudabunt, cuius auſpicijs Anglos ab Aureliæ mœnibus depulſos, tot vrbes bello receptas, Regem per medios hoſtes ad ſuſcipiendam inaugurationem Rhemos ductum intelligent. Quæ cum feliciter ſucceßiſſent, fortuna eam in medio curſu deſerente, capta ad

Compendium opidum atque igni cremata eſt; Petro Cauchonio Bellouacorum Pontifice, qui Anglis fauebat, hunc illi exitum vitæ procurante. Poſtmodum anno quadringenteſimo quinquageſimo ſexto Iſabella Ioannæ mater reſcriptum à Caliſto Romano Pontifice obtinuit, quo Ioannes Archiepiſcopus Rhemenſis & Vilelmus Pariſienſis cauſæ illius cognitores eſſe iubebantur. Innumeri teſtes ſuper Ioannæ natalibus, vitâ, religione, morib. reb. geſtis fidem fecere virginem illam iniuriâ damnatam, atque ita pronunciatum eſt ab illis ſanctiſſimis viris Non. Iulijs anno quadringenteſimo quinquageſimo ſexto: quarum rerum acta in ſcrinio Pariſienſis Eccleſiæ adhuc ſeruantur.

TESTIMONIVM X.

IOannes Auentinus in fine libri 7. Annalium Boiorum. *Carolus ſeptimus Gallijs expulit Anglos victricibus vbique armis, Virgineis auſpicijs, Puellâ duce cœlitus demiſſa paternum principatum recuperauit.*

TESTIMONIVM XI.

HEctor Boëthius Deidonanus Scotus lbro 16. Hiſtorię Scotorum. *Clades longe maxima fuit Francis vndique poſt victoriam & Anglis & Burgundionibus Franciam inuadentibus ac ſimul Aureliam obſidentibus. Actúmque prorſus de Franco tum nomine fuiſſet, niſi virgo quædam Ioanna nomine, virili veſtitu in-*

duta, armiſque egregiè exercitata Carolum prope deſperantem erexiſſet, atque ad meliora excitaſſet. Quod numine diuino factum non abſurdum eſt credere. Itaque omni ope deſtitutum humana Carolum cum Ioanna per Campaniam Rhemos contendentem, omnes eum Campani excepere volentes, reiecto Anglorum iugo, omniáque oppida, arces, caſtelláque illi tradiderunt. Rhemos quoque accedentem, quæ tum Anglorum partibus fouebat læta excepit ciuitas, Regémque ſolemni ritu ſalutarunt. Inde Ioannâ duce varias Franciæ partes adiens, magnam regni partem ob hoſtibus occupatam recepit. Felix vndique ac proſper ſucceſſus fuit, donec eruptione, Ioanna cum hoſtium copijs pugnans, dum victa cum ſuis à premente multitudine portam Com-

pendi oppidis ingredi prohiberetur, à Ioanne Luxemburgenſi à Burgundionibus ſtante capta eſt: qui illam continuo Anglis vendidit. Angli verò extemplo Rothomagum eam ducentes accuſarunt, quod violatis humani generis legibus armis ac veſte virili fœmina vteretur, ac præterea magicis artibus ab humano vſu prohibitis operam daret: ac dum in foro excuſare ſe conaretur, ſubiecto igne concremata eſt.

TESTIMONIVM XII.

IOannes Tilius Meldenſis Epiſcopus in Chronico de Regibus Francorum in rebus anni 1429. *Aurelianenſes omni auxilio miſerè deſtituti Burgundioni dedere ſe ſtatuerant, ſed contentione Anglorum ducum res*

infecta

infecta fuit. Quod ægerrimè Burgundio tulit. Ioanna Puella armata obſeſſos iuuat coactis hoſtibus obſidionem relinquere, ad octauum Id. Maij, eóſque virtute minimè puellari expellit. Francis deinde res melius ac felicius procedere cœperunt. Ioannes Nothus Aurelianenſis. Pataienſe in Belſiâ prœlium. Cæſis Anglis Ioannes Talbotus capitur. Puella armis per loca ab hoſtibus occupata Regem Carolum Rhemis conſecrandum ducit, multáſque in itinere vrbes recipit. Bedfordienſis Anglus prælio dimicare velle ſimulans, Regem Pariſios rectà contendentem remoratur. In oppugnatione Lutetiæ ad portam D. Honorati Puellâ vulneratâ exercitus ſe recepit, quæ illum in aliàs partes Galliæ ducens aduerſus Anglos, ob ſucceſſus & victorias celebratur. Compendium obſeſſum

vi & aſtu ingreſſa, cum aliquando in hoſtes eruptionem faceret; à Ioanne Luxemburgenſi capitur, Rothomagúmque ad Ducem Somerſetenſem mittitur, deinde inuidiâ & iniuriâ artis magiæ damnata exuritur.

TESTIMONIVM XIII.

IOannes Mariana Hiſpanus ſocietatis IESVS Theologus lib. 20. de rebus Hiſpaniæ. *Septimum menſem Aurelia obſidebatur ad Ligerim nobiliſſima ciuitas; obſeſſi rerum omnium inopia laborabant, ac vix mœnibus hoſtilem vim propulſabant: Ioanna Puella annorum octodecim aut circiter, rebus ſaluti fuit. Rhemigij nata, qui pagus in agro Tullenſi apud Leucos eſt, patre Iacobo Darcio, matre Iſabella, atque à primâ*

ætate paternæ oues paſcere ſolita veniens in caſtra Gallica diuino ſe monitu miſſam ait ad Aureliam periculo, Galliam liberandam Anglico imperio. Variis & multis interrogationibus verſata, vbi fides abs Rege proceribus eſt habita, per hoſtium munitiones impetu facto, auxilia & commeatum in vrbem infert, ciuibus cum ſpe defenſionis creuit animus, crebriſque ex vrbe irruptionibus obſidio diſsipata eſt ad ſextum Calend. Iunias, circumiecta oppida recepta: leuia tantummodo prælia facta, neque vniuerſi certaminis fortuna tentata, dum vincendi conſuetudine Gallorum vires & animi confirmarentur. Rex Gallus per medios hoſtes, Rhemos (quod factum non erat) ad ſacrum chriſma regnique inſigne ſuſcipiendum abiit. Author conſilii Puella. Sic auguſtior ſuis, hoſti

formidoloſior eſt factus. Multis receptis Vrbibus, Lutetia tentata capi non potuit: quin ad D. Honorati portam Puellæ vulnus inflictum eſt. Belli impetus verſus aliò. Compendium obſidebatur ab Anglis, Puella ſucceſſu fidentior animo, ſuorum cuneo facto in Vrbem irrumpit, ſed fortuna tandem in medio curſu deſerente, eruptione facta in poteſtatem hoſtium redacta Rothomagi magicæ ſuperſtitionis rea causâ dicta igne combuſta eſt. Petrus Cauchonius Bellouacorum Pontifex præcipuus concitator, nemine pro captiuâ contra hiſcere auſo, tametſi pleriſque contra perſuaſum erat Virginem eam iniuria fuiſſe damnatam. Æternum Galliæ decus, omnibus ſæculis nobile, vti dati in cauſa iudices à Calixto Romano Pontifice pronunciarunt; quæ acta in ſcrinio ſummi templi

Lutetiæ cum fide ſeruatur. Ænea Virginis ſtatua, armati militis habitu in medio Aureliæ ponte ſternitur, accepti beneficij monimentum.

TESTIMONIVM XIV.

GIlbertus Genebrardus Pariſienſis Theologus diuinarum & Hebraïcarum literarum Profeſſor Regius & poſtmodùm Aquenſis Archiepiſcopus libro 4. Chronographiæ. *Ioanna Darcia Puella ſiue Virgo in Lotharingorum Dampremo pago orta, anno ætatis circiter 20. Aureliam Vrbem obſidione Anglorum, qui Lutetiam magnámque Galliæ partem poßidebant, liberat anno* M. CCCC XXIX. *eius auſpicijs multa prælia feliciter à Francis geſta ſunt. Trecas, Lutetiámque ce-*

pit, inter primos milites muros aſcendens, ab Anglis tandem capta Rothomagi vt maga combuſta eſt. Aurelianenſes accepti beneficij & tantæ fortitudinis memores, edito in loco ad pontem quem Ligeris ſubterlabitur, ſtatuam Puellæ locauere, quam anniuerſarijs laudibus, ſingulari pietate concelebrant. Pius II. Pontifex Max. & Antoninus Florentinus Antiſtes, Puellæ ſupra ſexum virtutem admirantur. Sedatis tandem Francicis rebus, iudicio quo damnata fuerat nullius patrocinio defenſa & hoſte iudice retractato, omnium ſententia famæ reſtituitur Ioanna Darcia anno M. CCCC. LVI. *die 7. Iulij.*

ET ſexcenta alia omni exceptione maiora, & pleniſſima fidei teſtimonia, quæ nos hic, tædij metu, lubentes o-

mittimus. Sequitur deinceps omnium præſtantiſſimum, Decretum CALISTI III. ſummi Pontificis aduerſus immanitatem Anglicani iudicij.

SENTENTIA

DELEGATORVM A *Caliſto III. Pontifice Maximo de* IOANNÆ *Puellæ Aurelia-nenſ. innocentiâ.*

IN NOMINE SANCTÆ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

ÆTernæ *Maieſtatis prouidentia Saluator* CHRISTVS *Dominus Deus & homo beatũ Petrum, & Apoſtolicos ſucceſſores, ad ſuæ militantis Eccleſiæ regimen inſtituit ſpeculatores præcipuos, qui luce Veritatis aperta, iuſtitiæ ſemitas incedere docerent, Vniuerſos bonos*

amplexantes, releuantes oppreſſos, & declinantes ad deuia, per iudicium rationis, reducentes ad vias rectas. Hac autem authoritate fungentes in hac parte nos Ioannes Remenſis, Guilielmus Pariſienſis, Richardus Conſtantienſis Dei gratia Archiepiſcopus, & Epiſcopi, ac Iaannes Brehal de Ordine fratrum Prædicatorum, ſacræ Theologiæ Profeſſor, hæreticæ prauitatis in regno Franciæ alter Inquiſitor, iudices à ſanctiſsimo Domino noſtro Papa moderno ſpecialiter delegati; Viſo proceſſu coram nobis ſolemniter agitato in vim ſuſcepti per nos reuerenter mandati Apoſtolici nobis directi pro parte honeſtæ viduæ Iſabellis Darc olim matris, ac Petri & Ioannis dictorum Darc fratrum germanorum, naturalium & legitimorum bonæ memoriæ Ioannæ Darc vulgariter dictæ la Pucelle *defunctæ, ſuo-*

rúmque parentum nominibus actorum. Contra & aduerſus Inquiſitorem hæreticæ prauitatis in Dioceſi Beluacenſi conſtitutum; contra Promotorem negotiorum criminalium Epiſcopalis curiæ Beluacenſis, nec non contra Reuerendum in Chriſto patrem dominum Guilielmum de Hellenda, Epiſcopum Beluacenſem, cæteróſque vniuerſos & ſingulos ſua hac in parte intereſſe credentes reſpectiuè, tam coniunctim quam diuiſim reos. Viſa imprimis peremptoria euocatione, & executione eiuſdem ad ipſorum actorum, ſimúlque noſtri Promotoris ex officio noſtro in hac cauſa per nos inſtituti, iurati, & creati inſtantiam, per nos decreta aduerſus dictos reos viſuros; Reſcriptũ ipſum executioni mandari dicturos, in aduerſus, reſponſuróſque, & proceſſuros prout ratio ſuaderet. Viſa petitione ipſorum actorum, factáque

ſub certis proteſtationibus, aliiſque requeſtis, & reſeruationibus, pro parte ſua, & dictorum actorum factis, & per nos admiſſis vnà cum quibuſdam motiuis iuris ſub breuibus ſcripturis valentibus animum noſtrum aduertere, per nos receptis; Eoſque in CHRISTI *nomine in cauſa concluſo, & die hodierno ad audiendum noſtram ſententiam aſſignato. Viſis maturéque reuolutis, & attentis omnibus, & ſingulis ſuperius expreſſis, vnà cum certis articulis incipientibus;* QVÆDAM FOEMINA; *quos poſt dictum primum proceſſum iudicantes prætenderunt extractos fore ex confeſſionibus dictæ Puellæ defunctæ, & ad quam plurimas ſolemnes perſonas ad opinandum tranſmiſerunt, & quos ante dicti Promotor, & actores impugnarunt tanquam iniquos, falſos, & à di-*

ctis confeſſionibus alienos, & mendosè confictos multipliciter. De DEI vultu noſtrum præſens prodeat Iudicium, qui ſpirituum ponderator eſt, & ſolus reuelationum ſuarum perfectus eſt cognitor, & iudicator veriſſimus, qui vbi vult, ſpirat, & quandoque infirma eligit, vt fortia quæque confundat, non deſerens ſperantes in ſe, ſed adiutor eorum in opportunitatibus & tribulatione. Habitâ maturâ deliberatione tam circa præparatoria, quam circa deciſionem cauſæ, cum peritis pariter, & probatis, ac timoratis viris. Viſiſque ſolemnibus eorum determinationibus tam in tractatibus magna cum reuolutione librorum editis, & compoſitionibus multorum; Viſiſque opinionibus verbo pariter atque ſcripto tam ſuper forma, quàm ſuper materia præfati proceſſus traditis, at-

que dictis, quibus facta dictæ defunctæ magis admiratione, quam condemnatione digna exiſtimant reprobatorium, & determinatorium contra eam datum iudicium, & formæ & naturæ ratione plurimum admirantes, & difficillimum dicentes de talibus determinatum præbere iudicium, beato Paulo de ſuis reuelationibus proprÿs dicente, an eas in corpore, vel in ſpiritu habuerit ſe neſcire, & Deo ſuper hoc ſe referre. Imprimis dicimus, atque iuſtitia mediante decernimus articulos ipſos incipientes; Quædam fœmina, in proceſſu prætenſo, & inſtrumento prætenſarum ſententiarum contra dictam defunctam latarum, deſcriptos fore, fuiſſe, & eſſe corruptè, dolosè, calumniosè, fraudulenter, & malitiosè ex ipſis prætenſis proceſſu, & confeßione dictæ defunctæ extractos tacita

veritate, & expreſſa falſitate in pluribus punctis ſubſtantialibus, & ex quibus deliberantium & iudicantium animus poterat in aliam deliberationem pertrahi, plurimáſque circunſtantias aggrauantes in proceſſu, & confeſſione præfatis, non contentas, indebite adijcientes, & nonnullas circunſtantias reuelantes & iuſtificantes in pluribus ſubticentes, formámque verborum quæ ſententiam immutat, alterando. Quapropter ipſos articulos, tanquam falſos, calumnioſè, doloſè extractos, & à confeſſione eadem difformes caſſamus, irritamus, & adnullamus; ipſóſque quos in adiecto proceſſu extrahi fecimus hîc iudicialiter decernimus lacerandos. Inſuper alijs eiuſdem proceſſus partibus diligenter inſpectis, & præſertim duabus prætenſis in eodem proceſſu contentis ſententijs, quas lapſus

& relapſus iudicantes appellant: penſata etiam diutius qualitate iudicantium prædictorum, & eorum ſub quibus, & in quorum cuſtodia dicta Ioanna detinebatur; Viſiſque recuſationibus, ſubmiſsionibus, appellationibus, ac requiſitione multiplici, per quam dicta Ioanna ad ſanctam Sedem Apoſtolicam & ſanctiſsimum Dominum noſtrum ſummum Pontificem, ſe, omniáque dicta pariter & facta ipſius, ac proceſſum tranſmitti ſæpius & inſtantiſsimè requiſiuit, ſe, & prædicta omnia eidem ſubmittendo; Attentique circa dicti proceſsûs materiam quadam abiuratione prætenſa, falſa, ſubdola, & per vim & metum præſentia tortoris & comminatam ignis crematione extorta, & per dictam defunctam minimè præuiſa & intellecta: Nec non præfatis tractatibus, & opi-

nionibus Prælatorum ac ſolemnium Doctorum in iure diuino pariter & humano peritorum, crimina dictæ Ioannæ impoſita in præfatis prætenſis ſententijs expreſſa ex ſerie proceſſus non dependere, aut colligi poſſe dicentium, & multa elegantiſſimè de nullitate & iniuſtitia in hoc, & alijs determinantium, cæteriſque omnibus, & ſingulis diligenter attentis, quæ in hac parte attendenda & videnda erant, pro tribunali ſedentes, Deum ſolum præ oculis habentes, per hanc noſtram definitiuam ſententiam quam pro tribunali ſedentes ferimus in his ſcriptis. Dicimus, & pronunciamus, decernimus, & declaramus dictos proceſſus & ſententias, dolum, calumniam, iniquitatem, repugnantiam, iuriſque & facti errorem continentes manifeſtum cum abiuratione præfata exe-

cutionibus & omnibus inde ſequutis, fuiſſe, fore, & eſſe nullos, & nullas, inualidos & inualidas, irritas, inanes. Et nihilominus quantum opus eſt, ratione iubente, ipſos, & ipſas caſſamus, irritamus, & adnullamus, ac viribus omninò vacuamus, dictámque Ioannam, ac ipſos actores, & parentes eiuſdem nullam notam infamiæ ſeu maculam occaſione præmiſſorum contraxiſſe, ſeu incurriſſe, immunémque à præmiſsis, & expurgatam fore & eſſe declarantes, & in quantum opus eſt, penitus expurgantes. Ordinantes noſtræ huiuſmodi ſententiæ executionem ſeu ſolemnem intimationem in hac ciuitate protinus fieri in locis duobus. Altero videlicet in promptu in platea ſancti Andreni, generali Proceſsione præcedente, & in ſermone generali: & alio die craſtina in

veteri foro: in loco ſcilicet in quo dicta Ioanna crudeli, & horrenda crematione ſuffocata eſt, cum ſolemni ibidem prædicatione, & affixione Crucis honeſtæ ad memoriam perpetuam, ac eiuſdem & aliorum defunctorum exorandas ſalutes, vlteriorem dictæ noſtræ ſententiæ executionem, intimationem, & pro futura memoria notabilem ſignificationem, in ciuitatibus, & huius regni locis inſignibus, prout viderimus expedire, & ſi qua alia ſuperſunt per agenda, noſtræ diſpoſitioni, & ex cauſa reſeruando.

Lata, lecta, & promulgata fuit hæc præſens ſententia per dominos Iudices, præſentibus Reuerendo Patre Domino Epiſcopo Hectore de Quoquerel, Nicolao du Bois, Alano Oliuier, Ioanne du Bec, Ioanne du Gouys, Gulielmo

Rouſſel, Laurentio Sueray Canonicis, Martino Laduenu, Ioanne Rouſſel, Thoma de Fanoullieres: de quibus omnibus Magiſter Simon Chapitault Promotor, Ioannes Darc, & Preuoſteau, pro aliis petierunt inſtrumentum.

Acta fuerunt hæc in palatio Archiepiſcopali Rothomagenſi, Anno Domini 1456. *die ſeptima menſis Iulij.*

FINIS.

X.g.11.